

Dissertatio medica, inauguralis, de paralyti : quam, annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / Patricius Baron Seton, Scotus, Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord.eruditorum examini subjicit.

Contributors

Seton, Patrick Baron.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgi, 1787.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ddg5us4d>

Provider

University of Glasgow


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>









DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

PARALYSI.





DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
PARALYSI.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

PATRICIUS BARON SETON,
SCOTUS,


Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord.

Non quaerit aeger medicum eloquentem, sed sanantem. SENECA, Ep. 76.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.



Viro egregio,

H E N R I C O S E T O N,

E Q U I T I B A R O N E T T O,

D E A B E R C O R N,

Haud magis natalibus claro,

Quam morum suavitate et urbanitate,

Ac virtutibus omnibus,

Quae naturam humanam condecorant,

Insignito ;

Cui et amicitia et consanguinitate,

Devinctus est :

Van der

WILHELMUS

LOUIS

DE

Hand magis

Quam

de

Quam

Inde

Col et

De

Nec non,

Viro Eximio

GEORGIO DUNDAS

DE DUNDAS, ARMIGERO,

Maxima animi benignate,

Indoleque vere amica,

Praedito ;

Stirpem claram et antiquam,

Qua ortus est,

Haudquaquam dedecoranti ;

Has studiorum Medicorum Primitias,

Summa, qua par est, observantia,

Sacras esse voluit

A U C T O R.

The end

THE END OF THE WORLD

OF THE WORLD

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

Dr. D. D. D. D. D.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

P A R A L Y S I.

VARIE hic morbus a variis auctoribus nuncupata fuit, prout magis minusve late per corpus diffusum est malum. Apud Graecos primum, paraplegia, hemiplegia, paralyfis, paresis, nominibus fuerunt. Apud Latinos nomini communi fuit nervorum resolutio, aut Anglice *Palsy*. Haec autem vocabula parum accurate medici olim usurparunt. Nunc si quando pares omnes (ut quidam volunt) infra collum (aut ut alii) infra thoracem, paraplegia nuncupatur affectio: Si vero unum latus solum.

A

modo

modo vires suas amisit, hemiplegia. Si denique membrum vel pars quaedam tantum afficitur, paralyfis; quod quidem nomen omnes hujusmodi affectiones apud medicos adeptae sunt, idque usurpare, quia communi consensu sancitum est, minime haesitabo: Quodocunque movendi in quavis parte illaesa, sentiendi facultas obtunditur aut etiam aboletur, tamen ejusdem generis affectio est habenda, nec a caeteris seorsum tractari meretur.

Paralyfis ab egregio Cullen inter neuroses recensetur, et ejus hanc definitionem protulit: "Motus voluntarii nonnulli tantum imminuti; " saepe cum sopore *." Quia hanc definitionem caeteris omnibus quas alii protulerunt nosologi anteponendum existimamus, eas propterea praetermisimus: Istis enim commune fuit inter ea quae objiciantur, quod inter notas morbum signantes sentiendi facultas obtusa recensetur; hoc vero non semper contingit; et rarius adhuc pars quaecvis torpet omnino: Quumque nullum aliud nosologorum est officium, nisi ut signa quae vix unquam defunt recenscant,

* Cullen Synopsis Nosolog. Method. Tom. 11. p. 193.

seant, me iudice, definitio ab illustri Cullen oblata est longe caeteris anteponenda.

HISTORIA MORBI.

Apoplexiam aut praegredi aut sequi solet paralyfis; et hinc, quantum hi morbi mutuo necitantur, plane indicatur; ut et quam similes sunt causae iisdem praebentes originem. Subito paralyfis interdum adoritur: Interdum vero ante accessionem ejus, signa ejusdem se in conspectum edunt, e quibus hujusmodi morbum instare suspicemur. Vertigine crebro corripiuntur sic laboraturi; caput quasi pondere gravatur, aut etiam dolet. Partes quaedam tremunt subinde; et ipsi aegri, viribus suis deficientibus, inter movendum quasi vacillant; et aliquando omnia corporis membra contremunt; interea non raro adest aliquid stuporis, et hoc aut illud latus, vel pars mox resolvenda frigidescit*. Saepe mens hebetior fit et stupet; inde
stolidus

* Cael. Aurel. lib. 11. cap. 1. De Haen, Rat. med. cap. 28.

stolidus videtur homo; memoria labascit; nec non morositas quaedam observatur; denique, cum jam invasurus est morbus, omnis vis vitae languet. Moeror in quibusdam, ingruente accessione, et melancholia insignis observatur; mens adeo imbecilla evadit, ut lachrymae lenissima, aut etiam nulla causa, quae detegi potest, eliciuntur. Haec paralyseos aequae ac apoplexiae sunt praenuncia. Saepe postquam apoplexia discessit, et sensus resuscitati fuerunt, horrendae affectionis istius vestigia nunquam delenda manent. Cum jam aggressus est morbus, in parte affecta ponderis sensus percipitur, eique adjungitur stupor nonnunquam, sed rarius dolor. Pulsus arteriarum aliquantulum mutatur; sub initiis plerumque celer est, et abnormis; nonnunquam durus; postea autem fere semper mollior fit, et magis formicans. Alvus plerumque adstringitur. Sudor viscidus a quibusdam in parte affecta, aut nonnunquam per totum corpus, fuit conspectus*; saepius vero cutis arefcit, et (quod rarius contingit) latus non paralyti affectum convulsionibus agitur†: Interea torquetur

* Hipp. Epid. lib. 4. p. 746.

† Hoff. Syst. Rat. Tom. 4. part. 4. p. 27.

quetur os et vultus ; lingua insuper, si hemiplegia adest, ad latus hoc aut illud inclinatur, nec amplius solito more officio suo fungitur ; sed, turbata voce, indistincta verba eduntur. Loquela insuper ipsi aegro difficilis esse videtur. In parte affecta quoddam molestiae, quasi aliquid ibi perreptaret, sentitur ; aut etiam dolores quodammodo pungentes, istis similes eos adorientibus quorum obtorpescent nervi, percipiuntur ; vehementiores tamen, et convulsionibus * ingentibus stipati, nonnunquam laeessunt. Cum diutius perstitit morbus, partes affectae saepe marcescunt, musculique flectentes interdum rigescunt et contrahuntur †. In ipsis membris sic resolutis, sensus non deest plerumque, quamvis interdum quodammodo obtundatur ; at etiamsi rarius una cum motu sensus perit ; tuncque morbus gravior urget, et admodum periculosus est habendus : Dignum observatu est insuper, quod interdum, ut memorant quidam, in uno latere motus penitus cessavit, illaeso sensu ; dum alteri motus, abolito sensu,

* Senac. de la structure de Cœur, Tom. 2. p. 291.

† De Hais dissertat. de hemipleg. p. 31. Wepfer. ob. 16.

fenfu, manfit *. Definit hic morbus haud raro in lethum, et quidem in apoplexiam † fe mutans subito nonnunquam. Veruntamen cum non statim lethalis fit, et morbus abscedere videtur, timendum est multum ne regrediatur; etenim fallax solet esse levamen, et partes quae antea laborarunt raro pristinum vigorem recuperant: Mentis nec non praecipue eorum, qui aetate provectiores sunt, dum manet vita, functiones aliquae manifeste laeduntur; et hinc qui antea judicio gravi fuerunt, et ingenii acumine insignes, fatui nunc et inutiles redduntur. Quamquam vero prima aggressio non lethalis fit, inde tamen monstratur corporis vires jam esse fractas; et alteram citius feriusve, vixque non vitam ablaturam, metuendam praenunciat. Has miseras eximie depinxit celeberrimus Mead ‡ his verbis: “ Miseram autem vitam plerumque
“ trahit, qui illo afficitur: Vis enim animi
“ cum memoria deperditur; et luctuosum spec-
“ taculum,

* Gregory praelect. clinic.

† Cullen. pract. phys. vol. III. p. 174.

‡ Mead. monita et praecepta medica, cap. II. sect. II.

“ taculum, non jam homo, sed animal semi-

“ mortuum, contremit et vacillat.”

QUAE INCISIS CADAVERIBUS CONSPICIUNTUR.

Antequam ad paralyseos causas indagandas progredimur, quae remoto cranio, anatomici in cerebro detexerunt hic recenseri operae pretium fore videtur. Hujusmodi quidem inquisitiones medicis morborum complurium causas accuratius explorandi occasionem praebuerunt, et eorum indolem luculenter exposuerunt; nullius autem magis quam hujus. Duplicem enim posse cerebri affectionem extitisse ex his comperimus, viz. I. Sanguinem serumve aut tumores varios idem compressisse. II. Ipsum cerebrum esse vitiatum, aut saltem quandam mutationem subisse.

Retulit in tabulas venerandus Morgagni*, quod quidam septuaginta annos natus paralyti, apoplexiae ictum insequenti, correptus occubuit. Veneri aliquantulum inter cerebri meningis re-

pertum

* Morgagn. de sed. et caus. morb. epist. 11. art. 6.

pertum est ; in ventriculo sinistro quoddam phaseolum super plexum choroidem, magnitudine referens, ex variis constans hydatidibus detectum ; “ sub eodem ventriculo sinus erat, cujus parietes substantia cerebri faciebat, flava ac flaccida quae corrupta videbatur.”

Idem praeterea medicus * memoravit, quod rusticus quidam quadragesimum circa annum, postquam doloribus vagis thoracis vexatus erat, obmutuit tandem, linguae nervis resolutis, nec dextri lateris membra exercere potuit. Defuncti cerebrum incisum est, vasa sanguinem vehentia, quae per meninges procurrunt, sanguine turgentia et distenta erant. Cerebrum ipsum flaccidum fuit, pinealis glandula duriuscula et friabilis, subflava quoque, sicut et nates et testes. In ventriculis pauxillum aquae inveniebatur, in sinistro “ corpus callosum, quasi “ tabe quadam factum, subsidebat, et ex medio “ tuberculum prominebat, maximae fabae magnitudine et figura, colore autem rubro. “ Reliquum striatum corpus totum flavesceret, “ eaque esset laxitate, ut quasi difflueret.”

Vetula

* Morgagn. epist. 11. p. 84.

Vetula * quae per tres annos hemiplegiam apoplexia inductam perpeffa erat, tandem mortua est. Magna vis aquae ex vertebrarum canali, tum superiore tum inferiore, erupit.

Mulierem † bis apoplexia occupaverat: Paralysis tandem insecuta est. Uno aut altero mense elapso, postea febre extincta est: Atro sanguine cerebri vasa turgebant, pars cerebri corticalis adeo mollis et laxa erat, ut etiam membranae avulsae adhaereret.

Puella ‡ viginti et tres annos nata postquam se, grave supra caput onus gestans, multum exercuerat, hemiplegia lateris finistri correpta est. Mortuae rescisso capite e dextro ventriculo multum laticis cujusdam turbidae profluxit; eodem paullo magis dilatato, abscessus tunica propria cinctus, mole ovi gallinacei, se in conspectum edidit: In eo aperto, humor quidam subfuscus fuit observatus, et parietes ejus scabri, inaequales, et ulcerati visi: Plexus choroides in-

B

super

* Morgagn. epist. 11. p. 85.

† Morg. epist. 11. art. 22.

‡ Wepfer. hist. apoplex. hist. 14. p. 398.

super glandulis exiguis albis et pellucidis obtegebatur.

Juvenis * sanguineo temperamento, postquam laute epulatus erat, latus dextrum resolutum fuit, dexter quoque oculus caligabat. Septimo aut octavo die e vita discessit. Inspecto cerebro, ejus cavum anterius sanguine partim ichoroso, partim concreto, atque fero refertum inveniebatur.

Puer † tertium agens annum hoc morbo confectus est; dextrum latus praegresso lethargo affectum erat; inter membranas cerebri aqua congesta profluebat: Pars corticalis compressa et solito firmior videbatur. Ventriculorum cava multa aqua limpida implebantur.

Hujusmodi plura exempla referre prorsus supervacaneum foret, et ultra solitos fines hujusmodi dissertationum nos ducerent: Omnia enim quae apud medicorum scripta prostant, morbum e cerebro compresso persaepe oriri sat luculenter indicant. Innumerique casus

* Willis de an. brut. cap. 9. p. 155.

† Will. de an. Brut. cap. 9. p. 158.

casus citari possunt in quibus morbus vel ab aliis affectionibus, ut tumoribus, &c. aut ipsum cerebrum aut quosdam nervos comprimantibus, vel denique injuriis externis ortum duxit. Quae incisiones supra memoratae nobis exhibuerunt, fere huic affectioni, quandocunque idiopathica est, originem praebent; quum igitur talia conspiciuntur, causa, quantum hoc modo fieri potest, sub luce est posita. Atqui hic adnotandum, quod, qui expectant semper, a cadaverum incisionibus mali hujus indolem et naturam deprehendere, saepe fallentur: Non raro enim nihil insolitum in cerebro conspicitur. Cadaverum incisiones haud obscure monstrarunt quam arcte inter se connectuntur, et quam similia sunt mala quibus nervi obnoxia sunt. Causae enim quae nunc paralyfin, nunc apoplexiam, morbum comitalem aut convulsiones inferre videntur*. Atque revera affectiones illae tam arcte inter se conjunguntur, quod haec in illam non raro mutatur. Unde quidem hae varias species

* De Haen, rat. med. cap. 5. p. 4.

species prae se ferunt, aut in diversis hominibus, aut in eodem diversis temporibus, natura fortasse inter arcana sua recondidit. Utrum hoc vario hominum habitui, cerebro toti plus minusve compresso, vel parti cui admovetur pressura, tribuendum est, dubium; veruntamen eousque compertum habemus, quod ab hac aut illa causa haecce affectio originem ducit. Quod ad morbum de quo hic differimus, hoc satis est comprobatum; corporis latus dextrum aut sinistrum paralyticum fieri, quandocunque contrarium cerebri hemisphaerium comprimitur. Curiosum hoc admodum, sed ubique fere observatum, nec explicatu quidem facile; fibris cerebri medullofis inter se decussantibus fuit imputatum: An ita se res habet, an aliter, non asserere audebo. Talis autem opinio satis verisimilis videtur.

Hic morbus tam facile a cunctis omnibus distinguui potest, ut in diagnosi proferenda morari inutile et supervacaneum existimem.

CAUSÆ

CAUSÆ OPPORTUNITATEM,
INDUCENTES.

Quoniam Paralyfis ejusdem videtur esse generis ac apoplexia, nec ab illa nisi gradu differre, eambarum causae non multum plerumque differre colligendum est. Etiam si Paralyfis omni aetati et temperamento aliquando contingat, nonnunquam tamen quibusdam magis quam aliis inducitur, sicut et apoplexia ipsa: Illis enim quibus majora sunt capita, colla breviora, corporis constitutio pinguis et crassa, et qui aetate sunt provectiores, ejus incursum praecipue sunt opportuni. Quorum venae insuper turgidae sunt et laxae, facilius hoc morbo corripuntur; quinetiam qui sanguineo sunt temperamento, et vitam inertem atque luxuriosam ducunt, ejusdem incursum praecipue aliis opportuni esse dicuntur.

Pervigilia

Pervigilia quoque et studia quibus nimis incumbitur, lucubrationes, et denique quodcunque corpus infirmet aut plethoram inducat, eodem pertinent. Quidam coeli habitus, necnon et mutationes, ejus incurfui multum favere dicta fuerunt. Eundem quoque morbum sub hyemis frigoribus faepius accidere plerique adnotarunt, et magis adhuc quum gelido aëri * humor multus immiscebatur. Nec alia causa hyeme et vere faepius quam tempestatibus aliis adoritur †. At quidem non abesse solet, siquando corpore fortuitis causis proclivi facto, coeli temperies subito mutatur.

CAUSÆ EXCITANTES.

Hae in capita duo recte distinguuntur.

I. Quorum primum causas omnes cerebri vel nervorum substantiam comprimentes, vel aliter manifeste laedentes ;

II. Se-

* Huxham de aere et morb. epidem.

† Huxham loc. sup. citat.

II. Secundum autem illas, quae vim nervosam, cerebri substantia minime mutata, minuunt, complectitur.

Inter priores utpote quae et saepius occurrit et potentissima est, compressio recenseri debet. Extrinsecus infertur haec, interdum aut intus oritur. Ictibus contudentibus, fracturis et vulneribus ipsi cranio aut medullae spinali externa vis illata, eidem causae esse potest.

Intus vero comprimitur cerebrum, quando-
cunque ossa prominent, vel quando in vasis suis
congeritur sanguis, aut illa rupta laticem suum
effuderunt; aut denique quum serum, vel in-
ter cerebri membranas, vel in ejusdem cava, se
insinuavit: Tumores insuper aliquando intra
caput exoriuntur, et quo plus aut minus mo-
le sua comprimunt, eo apoplexiae, aut nervorum
resolutioni, talibusque affectionibus, originem
praebent: Idem quoque morbus etiam istis in
aliis partibus existentibus, siquando nervi aut
medulla spinalis ab iis comprimantur, aut con-
stringantur, non raro nascitur. * Hydrothorax
praeterea

* Carol. Pifo. serof. colluv. sect. 3. cap. 7. p. 243.

praeterea aut * vomica in pulmonibus eisdem effectus interdum gignunt.

Sanguis in vasis suis apud nervorum originem, a multis fortuito contingentibus, interdum congeritur, et cerebrum comprimens, indicia quibus paralyfis atque apoplexia insigniri solent, saepe inducit: 'In a case of palsy,' inquit† illust. Cullen, 'which is both partial and transitory, it is perhaps the only condition of the vessels of the brain that can be supposed:' Et quidem, perpensis illis, quibus sanguini a capite reducendo obstititur, causis, et nervos more insolito comprimi, et non amplius ut antea per corpus vigorem transfundere, luculenter patebit: Ideoque collo nimis constricto, aut corpore diutius flexo et capite depresso, rubore suffunditur vultus, tinniunt aures, oculi caligant, et vertigo inducitur. In praelectionibus suis, illust. ille medicus supra citatus, exemplum quoddam huc spectans enarravit. Fuit enim mulier, quae, corpore etiam per temporis pauxillum inclinato, signis

* De Haen. rat. med. cap. 24. p. 186. 7.

† Cullen pract. phys. vol. 3. p. 177.

signis, iis apoplexiae omnino similibus, corripiebatur, et subito concidebat.

Humores extra sua vasa effusi, quia hinc paralysis per saepe oritur, proxime nobis obveniunt; et certe non levem attentionem poscunt; effunditur vero aut sanguis aut serum. Sanguinis effusiones, quantum judicare possumus, interdum ab aucta vasorum cerebri actione, unde rumpuntur illa, aut externa vi illata, contingere solent. Serum e vasis suis elabitur, quando, sicut in diathesi hydropica, eorum extrema laxantur; aut ea latice praeter solitum aquosa implentur; ut etiam quum venae sanguinem e capite reducentes, plus minusve obstruuntur. Aucta vasorum actio, quae inde rupta sanguinem effundunt (etiam si rarior quam altera causa sit haec) secum nihilo minus quodocunque contingit, periculum ingens adfert. Vix quidem in animo concipere possumus, quomodo sanguine in ventriculis cerebri effuso, vita non subito aufertur; sed revera aliter res se habet. Quae vero Celeb. Cullen protulit aspiciamus*: 'That a sanguine effusion,' inquit ille, 'can happen without becoming very soon general, and

C

thereby

* Cullen pract. phys. vol. 3. p. 177.

' thereby occasioning apoplexy, and death, may
 ' seem doubtful, but dissections prove that in
 ' fact it does happen occasioning palsy only ;
 ' though it is true that this more commonly
 ' depends upon an effusion of serous fluid, and
 ' of this only.' *Nimia vasorum actio, quae sanguinis effusionis proxima rite habeatur causa, ab omnibus istis proxime oritur, quae congectioni favent, et quidem ea hujus praecipuus est censenda effectus : Etenim, ut innumera testantur, in quacunque corporis parte congeritur sanguis, in ea ad actionem validiorem concitantur vasa ; et siquando membranis interiora cava obductis incidit, et ibi moratur, quia ipsae ex structura sua sanguini effundendo obnoxiae sunt, hujusmodi profluvia sunt magis expectanda.*

Serum effusum, praesertim quum diutius persistit morbus, in defunctorum cerebris repertum est : Aquosi humores tardius et quasi paulatim ex vasis suis elabuntur ; nec tam subitum periculum quam sanguis prorumpens intentant ; ideoque paralyfis hinc oboriens facilius sanatur. Humores aquosi in corpore nimis abundantes,
in

in cava ejus varia per vasa exhalantia facile transeunt; et quidem simile ratione in cava cerebri, maxime ibi metuendi quia vitae id organum est princeps. Quam verum hoc, ab ischuria renali, quae plerumque apoplexia aut paralyfi inducta cito lethalis evadit, colligi potest.

II. Ad causas quae, nervorum genus adorientes, ejusdem vim imminuunt nunc perventum est.

Frigus valde sedare probe constat. Quum aut diutius corpori admotum, aut vehementius est, vis vitae ab eo multum imminuitur, et tandem omnino extinguitur. Hanc ob rationem paralyseos causa semper fuit existimatum: At effectus ejus, et quod ad hunc et alios inducendos morbos, multo potentiores sunt, adjecto humore *. Coelius Aurelianus †, Huxham, et multi inter veteres aequae ac recentiores, paralyfin sub frigido et humido coelo praecipue infestare adnotarunt; et adeo haec opinio invaluit apud homines, quod, testante ‡ Hippocrate, interdum

* Coel. Aurel. lib. 2 cap. 1.

† Huxham de aëre et morb. epidem.

‡ Hip. epid. 1. char. tom. 9. p. 63.

terdum epidemicorum instar grassata sit hic morbus: Medicorum multorum scripta sic ab eo paralyfin facilius induci testantur: Atque Galenus* quibusdam, dum super lapidem frigidum federent, subito ani et vesicae sphincteres resolutos fuisse memoravit. In tabulas retulit Avenzoar†, quod ipse noctu, quum diutius solito sub humido et frigido Jove manserat quondam, cruris nervos resolutos expertus erat‡. Mangetus quendam, postquam in lecto humido obdormierat, paralyfi correptum esse, nos certiores fecit§. Zacut. Luzitanus eandem affectionem homines adorientem, postquam in aqua frigida natarant, observavit, multaque alia hujusmodi medicis scriptoribus sunt tradita.

Calor etiam si, praesertim cum modicus est, ad sanitatem servandam, et omnia vitae munera rite exercenda, confert magnopere; etiam si insuper nihil, in medicina facienda, utilius fuit repertum, nonnunquam, si nimius admoveatur, fere

* Galen. de locis affect.

† Avenz. apud Zacut. Lusitan. tom. 1. hist. 47. p. 84.

‡ Mang. bib. pract. p. 85. 106.

§ Zacut. Lusitan. lib. 1. pract. observat. 34-37.

fere simili ratione nocet: Hic denique sicut
et frigus paralyfi originem praebuit. Stimu-
llando, sanguinem velocius circumagi facit; hu-
mores dissipat, cumque diutius effectus ejus
perstiterint, ipsi cerebro vim suam furripit.
Dicit* Hippocrates paraplecticos nonnunquam
fieri homines, si caput repente Solis adoribus
exponitur. Effectus vero caloris, aequae ac fri-
goris, adjecto humore insigniores fiunt: Sic
enim balnea calida valde corpus humanum
laxare observantur. Hanc opinionem sufful-
cit † Willis ut et Martianus. Liquores te-
pidi aut saepius aut majore quantitate as-
sumpti, auctore clarf. Boerhaave, multum
infirmant, et ex iis non raro omnia contremis-
cunt membra: Coffaea atque Thea hujusmodi
sunt, et hoc modo nonnunquam haud innocuae
evadunt. Nocivi illarum effectus sunt adscri-
bendi partim ad sanguinem ab iis dilutum ni-
mis, unde id quod pro nutrimento debuit esse
vel deficit vel corrumpitur; et partim ad ventri-
culi

* De aëre, locis, et aquae textu 14. chart. tom. 6. p.
91.

† De an. brut. de paral. cas. 5.

culi vigorem amissum, et ipsum non amplius ad ingesta concoquenda sufficientem. Boerhaave de his differens haec verba habet: ‘Abusus theae, coffeae, paralyfin induxit, nervis red-
 ‘ditis flaccidis*.’ Van Suieten insuper his verbis usus est: ‘Vidi plurimos his potibus diu
 ‘abufos, adeo enervatum corpus habuisse, ut
 ‘vix languida membra traherent, ac plures
 ‘etiam apoplexia et paralyfi correptos fuisse.’

Aër fixus, vel ille qui inter fermentandum extricatur, nuper ob ejus indolem acidum aëreum nuncupatus, ille qui in cavernis et fodinis nonnunquam abundat, omni terrae calcariae immiscetur large, et e pulmonibus inter spirandum ejicitur; si denuo inhaletur, stupor, apoplexia aut paralyfis inducitur, et ni aër purus cito suppeditetur, in animantibus omnibus ipsa extinguitur vita. Aër mephiticus, aut id quod omni materiae combustae superest †, vaporesque multi hic recenseri debent. Hemiplegia immedicabilis etiam ‡ exhalationes parietum

* Tom. 3. de paral. p. 362.

† Vide Hoffman. Wepfer. et Helmontius.

‡ Van. Suieten tom. 3. sect. 1010. p. 278. item; de Haen rat. med. pars 2. cap. 13. p. 233.

rietum nuper extructorum et calce oblitorum
ut causam agnovit. Praeter istos, metallorum
complurium, ut hydrargyri, plumbi, stibii,
arsenici, &c. vapores, eisdem effectus edunt.
Hinc inaurantes, chemici, metallurgi, figuli,
&c. huic morbo sunt maxime obnoxii. Omnia
vero istiusmodi nociva, utcunque admoveantur,
vim nervorum imminuunt. Huiusmodi exem-
pla multa retulit de Haen *.

Inter causas quoque hunc morbum excitantes,
quaedam venena e plantis comparata recensere non absolum videtur; ista sunt opium, belladonna, hyoscyamus, solanum, nicotiana, &c. omnia enim illa, quia vigorem suum nervis eripiunt, huius morbi origini valde favent. Opium nonnunquam paralyfin inducere posse, experimenta quae illustris Monro et Whytt instituerunt, satis monstrarunt. Dixit Felix Plateus † ipsum, linguam paralyfi correptam, ex opio per anum injecto, observasse. Belladonna ulceribus partes oculo vicinas obsidentibus applicata

* Rat. med. cap. 9. et 28.

† Observat. lib. 3. p. 129.

plicata pupillae motum et contractionem sustulit *. Nicotiana nimis usitata nervis haud minus est nociva ; et paralyseos aut apoplexiae signa induxit. Hujusmodi exemplum retulit Hilwigius †.

Haecenus non satis fuit statutum, an haec supra recensita, stimulando an sedando effectus suos edunt ; multa quidem eorum, quum primum admoventur, manifeste stimulant ; hujusmodi autem effectus evanescunt cito, et debilitatis indicia se in conspectum edunt. De hac re autem nihil certi proferre audemus.

Acida vina et austera, insuper, ut paralyseos causa fuerunt a quibusdam auctoribus memorata ‡. Etmuller ait, ‘ et tales paralyseos frequentes sunt in Austria et Moravia, ubi copiosum potatur vinum acore insigne turgidum.’ Paralyseos inter causas excitantes a plurimis recensita fuit nimia venus §. Sine dubio venus
nimis

* Ray hist. plant. lib. 13. cap. 23. p. 680. item ; Van Suieten, tom. 3. de paral. p. 363.

† Hilwig. observat. num. 45.

‡ Etmul. tom. 1. p. 455. cap. 10.

§ Vide Hoffman, Celsus, Ludovicus, Willis, &c.

nimis culta corpus valde infirmat, nec ab ea minus mentis facultates labascunt. Jactura ipsa seminis, humoris quidem tam utilis, non sine multo incommodo toleratur; at voluptas quoque ingens, et motus convellentes quae huic sunt propria, ad eosdem promovendos effectus haud leviter conferunt.

Animi affectus, cum vel subito vel vehementer exardescunt, vel longum per tempus agitant, haud minus damni afferunt, quam ea quae effectus suos directe in corpus edunt, et idem commovent: Isti in paralyfin multosque alios morbos desierunt, et nonnunquam improvise mortem ipsum intulerunt. Consentiunt enim mutuo nexu quodam mirabili corpus et mens, nec laesa hac, immune illud. Affectus vero animi vel excitantes vel deprimentes sunt. Excitant ira, gaudium, et similia: Hi affectus nervos magnopere agitant, ab iisque cor et arteriae insolito impetu sanguinem propellunt; hinc caput versus majore copia urgetur. Hoc satis indicant calor ille et vultus suffusio quae inde oritur. Tulpius * memoravit, quod foemi-

D

na

* Observat. med. lib. 1. cap. 41.

na quaedam, cito postquam parturierat, iracundia correpta, in paralyfin incidit; denique est notandum, haec omnia animum excitantia, si modica sint in sanitate conservanda, et muneribus rite fungendis, haud aliter quam corporis exercitatio prodesse; at immodica aequae nocere. Eleganter differuit Gaubius de hac re.*

‘ Quamquam igitur in moderatis qui ratione
 ‘ diriguntur, sua inest eximia utilitas haud minus
 ‘ physica quam moralis, magnopere tamen
 ‘ vitae ac sanitati nocere possunt valde violenti,
 ‘ maxime sicubi et subito erumpunt, aut perti-
 ‘ naci duratione inolescunt, aut intus saevientes
 ‘ nequicquam comprimuntur, aut alii aliis celerissime
 ‘ superveniunt, sive affines sive inter se
 ‘ oppositi.’ Affectionum deprimentium quaedam, ut timor atque moestitia, paralyfin nonnunquam induxerunt, Hoffman †, Shenckio ‡ et De Haen || testantibus.

Praeter

* Gaub. de patholog. p. 276.

† Hoff. syst. rat. tom. 3. observat. 2.

‡ Observat. med. lib. 1.

|| Rat. med. cap. 8. p. 51.

Praeter istas modo relatas causas, multae aliae in auctorum scriptis memorantur. Illust. Van * Swieten convulsiones (sicut in elilepsia) et alios ejusmodi motus abnormes, praecipue in infantibus, paralyfin nonnunquam induxisse observavit. Hanc ille ad morbidam quandam mutationem, vel ipsi cerebro illatam, vel fibris musculorum fortiter distractis, structura eorum inde laesa, attribuit. Dolor insuper vehemens et diuturnus aliquando hunc morbum progenerare visus est.

Hic quidem nervos valde concitat, eoque violentiore nihil magis ad vires eorum conterendas valet: Non mirum est igitur eum paralyseos initiis favere †. Van Swieten certiores nos fecit, ipsam paralyfin nulla arte sublevandam a dolore lumborum vertebrae occupante exortam, apud inferiora membra, se observasse: Simili ex ratione eandem rheumatismum aliquando insecutam esse, ut ipse expertus est, retulit Boerhaave. Vix necessarium videtur in paralyfin illam, quae crebro post se relinquit colica pictorum

num

* Van. Swiet. Tom. 3. de paral. sect 1060.

† Tom. 3. de paral. p. 364.

num morari; hujus vero quidem, non ipsius morbi effectus, aut dolor ejus affecla, sed plumbum a quo ille originem deducit, est incusandum. Paralyfin non raro febribus et aliis morbis acutis supervenire neminem fere latet *. Est enim saepe videre partes quasdam hujusmodi affectionibus correptas; utpote quum praegressis febribus gravioribus, caecitas aut surditas inducitur. Ex morbis sicut scorbuto et siphyle †, quibus valde inquinatur sanguis, oriri hic memoratus est, ut et ex vermibus in intestinis hospitantibus ‡; atque asseveravit Salmuth, || e linguam, retropulso faciei erysipellate, mutam redditam observasse. Similes affectus arthritidis §, quum non solito et regulari modo extrema occupavit, edidisse dicta est. Consuetis exinanitionibus impeditis, malum nonnunquam exoritur idem: Sicque qui profluvio haemorrhoidali fuerunt obnoxii, ni id solito intervallo redeat, capitis

* Vide Fernelius de febrib. Forestus, Riverius, de Haen, aliosque.

† Vide Astruc. Wepfer. et Baglivi.

‡ Salmuth. cent 2. observ. 45.

|| Cent. 2. observ. 43.

§ Van. Swiet. tom. 4. sect. 1273.

capitis affectiones, ut vertiginem, &c. cito experiuntur * ; et hinc colligere licet sanguinem, exitu ejus ad inferiora impedito, cerebri vasa distendere: Nec aliter quidem se habent mulieres, menstruis non solito tempore profluentibus: Hoc vero clarius adhuc manifestatur, quandocunque, sicut in ischuria renali, cujus supra mentionem fecimus, urinae fluxus supprimitur.

P R O G N O S I S.

De hujus morbi eventu semper dubitandum est ; is enim non raro lethalis evadit. Quo magis et quo latius resoluti fuerint nervi, et quo profundius sopiti sensus, eo magis timendum: Ut statutum quoque habetur, quod quo aetate provectior sit aeger, et quo ex habitu morbo proclivior videatur, eo gravius erit periculum. Si autem ventriculus, intestina, aut vesica sic laborant,

* Van. Swiet. 166. p. 355.

borant, spes sanitatis recuperandae vix nobis restat: Si insuper in parte resoluta sensus adest frigoris; si eadem quasi marcescit aut tumescere incipit; si aut mentis facultates labascunt, et vitae principium laborat, pessima quaeque auspicari licet. Contra autem quando tristis haec signorum caterva, aut non obviam se fert, aut ipsa leviora sunt, minus est metuendum, nec spes abjicienda.

M O R B I N A T U R A.

De hac re vix aliquid certum haecenus ab auctoribus prolatum fuit. Nervorum enim officia tam sunt incognita, quod de hujus aequae ac aliarum ejusmodi affectionum proxima causa nihil prorsus dubiorum expers proponere possumus.

Qualis sit vis nervorum nemo haecenus detexit, nec forsitan brevi id consequetur. Ex iis etenim videtur esse quae inter arcana sua humano ingenio nunquam attingenda recondidit natura.

tura. De ratione vel modo quo sensus motusque fiunt, quodcunque excogitatum fuit, haec solummodo nobis praestat, quod primo intuitu quam futilia conamina talia nos edocet. Mihi quidem non paullo ineptum atque audax videtur, perscrutari unde et quae sint illae ipsae facultates, quibus solis adjuvantibus de aliis rebus dijudicare nobis conceditur. Sic de hac re profatus est egregius Gregory * ; ‘ nondum
‘ vero ratio ulla proposita est rem per experi-
‘ menta explorandi, et experientia bis mille
‘ annorum fatis superque demonstravit, sapien-
‘ tissimos etiam hominum naturae arcana con-
‘ jectando rarissime detegere.’

Abiectis ideo hujusmodi conatibus, sat erit hic adnotare, nervos et ad motum et ad sensum impertiendum inservire. Experimenta innumera in animantia varia instituta partes, quibus impenditur nervus, eo rescisso, non amplius aut sentire aut sponte movere commonstrarunt. Idem insuper contingit, dum nervus comprimitur; at postea refuscitantur partis munera, nisi pressura tanta sit ut etiam ipsius nervi fabrica laedatur.

* Conspect. med. theor. tom. 1. cap. 3. p. 61.

laedatur. Ratione ab his desumpta, colligere licet, cerebri, e quo omnes proveniunt nervi, compressionem similibus effectibus originem praebituram esse. Et quidem non aliter res se habet: Etenim hinc inducitur apoplexia, aut, si levior fuerit compressio, paralyfis. Quare autem in paralyfi motus plerumque solummodo perit, perdifficile explicatu est, et nunquam forsitan liquebit. Hinc autem inferri potest, compressionem vim nervosam (quaecunque sit ea) in organa motui inservientia se transfundentem impedire; ideoque unam et praecipuam causam paralyseos esse habendam.

Ea, quorum inter causas excitantes mentio facta est, alteram praebent originem. Illa in vim nervorum recta exercent se; eam imminuere videntur, et tandem dirimere. Talem conditionem Cullen illust. collapsum nuncupavit. Hicque adnotandum, quod, prout hac aut illa origine ortus fuit morbus, ejus natura variat; et quidem haec distinctio in medendi ratione tractanda non levis momenti erit.

Duabus

Duabus istis memoratis, tertiam adjicere causam non alienum videtur. Haec praecipue afficere solet seniores, qui aetate florentes intemperantiae multum indulserant: Haec est nervorum vis exhausta vel copia (si ita loqui fas est) deficiens. Paralyfin ex tali causa aliquando provenire, quum nec aliquid comprimens, nec sanguis congestus, nec denique quaevis nocentia in culpa fuerint, vix dubitari potest; praesertim si in animo reputemus, quantum tali tempore labascit memoria, et mens infirmatur; quanto nec non difficilius quam antea, cum hic morbus invasurus est, quidam aetate provecti quodam irritamine afficiuntur, et quam obtusi sunt sensus.

R A T I O M E D E N D I.

Curandi, ut opinor, consilia in tria haec capi redigi possunt; viz.

I. Ut compressio, vel hae causae cerebri functiones impediennes, submoveantur, sicque,

E

II. Ut

II. Ut vis nervorum iterum in organa voluntate movenda restituatur, et denique,

III. Ut vis cerebri an deficiat haec sponte, senectute ingravescente, an ex quibusdam nocentibus adhibitis minuatur, vel prope extinguatur, concitetur et reficiatur.

Ad primum consilium explendum, evacuantia varia proposita fuerunt; et sane in omni paralyfi recente, vel apoplexiam infecuta, vel cum alioquin cerebrum fuit compressum, aut congestis aut nimis abundantibus humoribus (ut omnes testantur auctores) exinanitiones maxime conveniunt.

Inter ista, quibus detrahuntur humores, sanguinem mittere praecipuum est; hoc quidem, praesertim quando copia insolita caput versus propellitur sanguis, aut quando timetur, ne ibi nimis accumuletur, saepe admodum prodest; deplet enim subito, et an noceat an profit, effectus ejus cito conspiciuntur. Quantum valuit veteres non ignorarunt: En Celsi verba: ' Si omnia membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit vel liberat *.' Hinc nobis indicatur, sanguinem detrahentibus,

* Celsus de Med. cap. 27.

trahentibus, multum praecavendum esse; nec in omni nervorum resolutione talem jacturam convenire. Willis insuper de hac re sic locutus est: ‘Quod quidem in multis observavi, et plerumque in brachio, e quo sanguis detractus, languores et tremores incepisse *.’

His collatis, sanguinis missionem, si a temerariis vel imperitis, in omni paralyfi, ea praecipue quae, deficiente nervorum vi, exoritur, facta fuerit, multum esse interdum nocituram, nec raro mortem intentaturam, colligere fas est. Et quandoquidem, nobis saltem judicibus, tali ex causa saepius paralyfis provenit, talis amissio nunquam est praecipienda, nisi quum signa eam manifeste poscunt; et adeo urgent signa, ut eam differre non amplius liceat. Quidam revera eousque progressi sunt, ut ipsum hunc usum prorsus repudiarint. Illi vero, sententiis propriis dediti, aequae ac alteri, hallucinati sunt; charybdim fugientes in Scyllam inciderunt. Haec verba fecit clarus Mead. ‘† Nullus jam sanguinis missionibus locus est, nec catharticis
‘vehemen-

* Willis pars patholog. cap. 9. p. 151.

† Mead monita cap. 2. sect. 2. p. 70.

‘vehementioribus;’ et quamvis cum eo non omnino consentimus, veruntamen non possumus non opinari, et tutius et melius esse nimis de hac re cavere, quam festinanter et inconsulte ad eam nosmet recipere; nihil autem universum proponere licet, nisi ut sedulo inter paralyfin eam compressione aut plethora inductam, et eam, cui nociva quaedam aut nervorum vis deficiens causae fuerunt, distinguamus. In priore, malo incipiente, vel saltem non inveterato, haec solummodo convenit, et quamprimum debilitatur corpus alienum fit. In posteriore autem nihil hujusmodi non nocebit. Opinatur * illust. Cullen sanguinem a vena jugulari detrudere maxime prodesse; et quidem verisimile videtur, quo propius parti affectae idem sit missus, effectus ejus eo potentiores fore. Hic autem caveatur, ne collum nimis arcte fascia complectamur; si quando autem talis operatio non conveniat, a brachio detrudere sat erit. Haud minus utile erit temporum arterias pertundere; sic enim vasa subito deplere, et, quod nihili non videtur esse, arterias ipsas penes nos est. Hic
vero

* Cullen pract. phys. vol. 3. p. 159.

vero modus, quia non tam facile absolvitur, et incommodo majore stipatur, caeteris forsan est posthabendus. Scarificare quoque, et cucurbitulis sanguinem elicere, aliquando non inutile est. Fronti aut occipiti admoveantur haec; et certe, quia citius deplent hirudinibus sunt anteponenda. Apud quosdam invaluit opinio, quod potius a latere sano quam affecto sanguinem educere oportet. Hoc vero, me judice, non magni est; caeteris autem paribus, sit hoc pro medici voluntate, nam innocuus omnino est quidem nos.

Cathartica plethorae insuper obstant, et humores ad intestina deducunt, quo minus illi ad caput nimis urgeantur impediunt. Nec alium ipsam solventia nihil profunt; etenim tum alimentarium stercoreum colluvie liberant, non solum hunc, cujus sensus in hoc morbo erumque obtunditur, sed totum corpus stimulant. Haec igitur, quae magis calefaciunt et stimulant, praestantiora sunt, ut jalapium, scammoni, g. guaiacum, colocynthis, et hujusmodi caetera. Haec, ne vomitum cieant, saepius, at quantibus exiguioribus, usurpanda sunt. Illaesa hauriendi facultate, ad alia hujusmodi remedia confugiamus

fugiamus forsitan non erit necesse; sed quia facultas ea non raro multum deficit, clysmatis acrioribus et stimulantibus subducenda est alvus, ut motus intestinorum magis promoveatur.

Emetica insuper quibusdam auctoribus, quod ad hunc morbum oppugnandum, laudata sunt. Atqui, si quomodo in humanum corpus agunt perpendatur, forsitan de eorum usu ambigere licebit. Vomitus enim periculo interdum non vacat, et proculdubio multa cautione suscipiendus est. Namque dum evomitur, sanguis insolito impetu per vasa sua propellitur; septum transversum et abdominis muscoli concitantur valde et contrahuntur; totum denique corpus fortiter agitur. Hinc patet, periculum, ne inter vomendum, vasa capitis more insolito turgentia rumpantur, et subito mors inferatur imminere, magisque adhuc, quia corpus flectatur necesse est, vomens periclitatur. Idcirco quandocunque paralyfin compressio induxerit, emetica non idonea esse concludere licet; nec nisi, quum nervorum vis deficiens est in causa, convenire; tunc autem non sine fructu usurpantur.

Quae nec non sudorem promovent sua laude apud quosdam non caruerunt. * Van

Swieten

* Van Swieten comment. lib. 3. p. 384.

Swieten sudorem decoctionibus diaphoreticis per aliquot dies assumptis, et postea vaporibus vini spiritus accensi, elicere suadet. † Wepfer insuper in eandem opinionem ivit aequè ac Willis ‡. At quidem, si mihi judicare licet, ista remedia, quandocunque compressio adest, parum votis nostris respondebunt. Calor enim ipse, qui sudori eliciendo necessarius est, solus detrimento ali esse potest, quale ab eorum usu nos haud raro absterreat. Nec quidem tantum evacuant, quantum ea nobis, ut auxilia hujusmodi potentia, commendare potest; praesertim cum multa et magis efficacia et tutiora nobis non defunt: imminuta vero cerebri et nervorum vi, forsitan nonnihil profint.

Diuretica et sialagoga a quibusdam laudata ||, si diathesis hydropica adsit, non prorsus inutilia erunt; experientia autem, ea multum huic malo adversari non sunt comperta.

Epispastica

† Wepfer observat. med. pract. p. 27.

‡ Willis pars patholog. cap. 9. p. 159.

|| Willis pars patholog. cap. 9. p. 154.

Epispastica quoque non sine multo commodo usurpata fuisse dicuntur; et quoniam illa nec diu nec vehementer stimulant, de iis, etiam quando compressio et auctus sanguinis impetus malo huic origini fuerunt, non valde est timendum; atque, cum diathesis hydropica adest, admodum erunt utilia. Vix insuper dubitari potest, quin eadem eo magis valebunt, quo propius capiti applicantur.

Haec proficere opinatur celeb. Cullen, non quia humorum revulsionem efficiunt aut stimulant, sed quia proclivitatem ad haemorrhagiam imminuunt *. Non tamen facile in animo concipere possumus, quomodo hoc perficiunt, nisi aut humores vel revellant vel evacuent. At, quoniam etiam hoc modo non multum valere possunt, ut remedia admodum efficacia vix habenda sunt. Fonticuli et setacea quoque inter evacuantia enumerantur; nec leviter in multis affectionibus profunt. Humores enim assidue detrahunt, et non minus visceris cujusvis affectionibus, quam totius corporis humorum abundantiae occurrunt. In paralyfi autem recente,
quia

* Pract. phys. p. 163.

quia tardius humores eliciunt, istiusmodi auxilia non magni sunt aestimanda: Non autem prorsus aspernanda illa, quum indicia morbi infecuturi sese ostendunt.

Nunc remediorum pleraque, ad primum nostrum consilium pertinentium exequendum percurrimus, sique haec cura debita atque solertia adhibita fuerint, consilium nostrum

II. Quoque explebitur; igitur ad tertium consilium transimus.

III. Ad hoc perficiendum remedia, a jam recensitis longe diversa, requiruntur: Quia enim ipse morbus diversa est indole, medendi consilia simili ratione varientur oportet; nec educendi humores, sed suppeditandus vigor, et quodcunque corpus stimulet et roboret: In morbis, qui tam similes inter se videntur esse, curandis, proculdubio tam diversas rationes medendi usurpare quoddammodo absurdum videtur; nec revera est negandum, quosdam de stimulantium usu, dubiorum non omnino fuisse expertes; non opinari vero non possumus, innumera istiusmodi remediorum eximie proficientium exempla extare. Ut vero ultra solitos, hujusmodi dif-

fertationum limites non progrediamur, ista quae maxime usurpantur solummodo, et qua ratione maxime profectura admoveantur, enarrabimus.

Calor, sicut experientia quotidie monstrat, huic aequae ac aliis compluribus morbis remedio est: Modicus enim fovet, et vim nervorum adauget, atque propterea, quandocunque animantium functiones debilitate labascunt, multum prodesse solet.

Paralyfis et alia ejusmodi mala, coelo humido et frigido saepius invadentia, et aegrius summovenda, hujus rei indicia sunt; namque eadem, calore aestivo redeunte, discedere incipiunt: Quamvis caloris vitae servandae tam necessarii imminutio quaedam impune toleretur, tamen cum longe praeter solitum subducitur idem, simile ratione corporis munera infirmantur; vehementiore adhuc frigore, ipsa tandem vita extinguitur. Variarum, quibus aut per se, aut adjuncto humore, calor admoveatur, propositae sunt rationes. In balneum calidum descendere, adjuvantibus aliis remediis, saepe non leviter profuisse dictum est.

Thermae

Thermae medicatae, aut aquae Bathonienses*, a pluribus auctoribus, multis sanitatem renovasse dictae sunt. Atqui calor, adjecto humore, diutius admotus, laxat et debilitat; caute est igitur usurpandus. Vice autem hujus sufficiat aliquando per seipsum admoveere calorem; atque aegrum in balneum arenae, clibanum, aut laconicum immitti. † Salem calefactum, animalia nuper occisa membris resolutis applicari, eodem consilio, quidam jusserunt. Quum vero musculorum rigiditas, ex longa quiete et inertia, partibus paralyti laborantibus incidit, balneo calido vix aliquid praestantius. Frigus a nonnullis ut optime paralyti adversans laudatum est; at quoniam etiam sanos non raro idem debilitat, in hoc morbo profuturum esse, cui saepe tam magnopere favet, parum expectare licet. Quum igitur debilitate insigni totum gravatur corpus, frigus omnino alienum est habendum, et ab eo certe abstinendum; nisi, corpore alioquin viribus integro, aut sanitate fere jam recuperata, idoneum videatur

Electricitas,

* Vide Cocchi, Willis, et Charleton.

† Willis de anim. brut. cap. 9. p. 154.

Electricitas, quae sine dubio magis exquisitè quam aliquid hactenus cognitum, aut quod unquam forsitan ab hominibus reperietur, corpus stimulat; cujus nempe opera multa quidem miranda perficit natura; quae necnon passim per eam diffunditur, ad hunc morbum summovendum magnopere valet. Tantis quidem viribus homines perculit, ut ilico ipsam vitam auferre potest; arte vero moderante, pauca sunt, quae corpori humano meliora praestiterunt, nec quicquid in saeculis recentioribus medicinae exercendae utilius fuit inventum. De Haen *, hanc rem tractans, sic locutus est. ‘ Discussis pensatisque omnibus, machinam hanc auxilium esse, quod in multis malis plura praestet, quam alia auxilia hujusque praestiterunt; adeoque grates Deo ob patefactionem ejus a mortalibus referendas esse.’

Diversis modis adhibetur hoc remedium; viz. toti corpori, insulatione; aut huic aut illi parti, ictibus vel scintillis. Utcunque vero applicetur, et nervos et vasa sanguinem vehentia ad actionem validiorem excitat; exhalationem per cutem, et omnia secernenda et excernenda promovet;

* De Haen rat. med. cap. 22. p. 143.

promovet ; in membris ipsis paralyticis aliquando dolorem et saepe tremores et convulsiones commovet ; ruborem atque calorem in parte affecta auget, membris nec non macie extenuatis, pristinam magnitudinem renovat. Quum autem compressio fuit in causa, minus tuto forsitan ad hoc auxilium confugimus ; at quum illi vis cerebri imminuta originem praebuit, hoc ut praestantissimum remedium secure licet usurpare. Idem illust. Gregory * commendavit multum, et saepe magno cum fructu ab ipsis morbi initiis adhibuit ; praesertim quando pauperiores, in quibus plerumque (ut ipse non sine causa innuit) plethora minus est timenda, sic laborarunt.

Idem necnon scintillas elicatas maxime promovere monuit. Hic enim modus est et tutissimus et maxime conveniens ; eo enim electricitatis quantum fas est, et idoneum, adhiberi potest. Eatenus hoc remedium laudans progressus est De Haen, ut etiam inquit. † ‘ Nemini unquam vim electricam vel minimum nocuisse.’ In hanc vero opinionem pauci omnino ibunt.

* Gregory praelect. clinic.

† De Haen rat. med. cap. 22. p. 141.

ibunt. Hoc auxilio utentibus per temporis spatium longius aut brevius, sicut res postulare videantur, perstandum est. Aliquando effectus ejus subito edit, praecipue si aegri non multum aetate sunt provec̃ti, vel morbus non valde inveteravit. Si autem aliter se res habent, quia inde pertinacius redditur malum, interdum per tempus longius in ejus usu perseverare fit necessarium. De Haen * memoravit, quod in casibus quibusdam, etiam postquam per sex menses usitatum fuit, nihil boni exinde profluxit; sed tandem diuturnius adhuc perseverando multum levaminis fuit perceptum.

E variis adversus hunc morbum subsidiiis, quae proposita sunt, exercitatio haud minimum est habendum; ab ea enim totum stimulatur corpus et vigorem majorem adipiscitur; sanguis inde aucto impetu propellitur; at ex diversis ejus generibus, id quo magis exercetur corpus anteponendum est, sicut ambulatio et equitatio; cum autem vires ad istas non sufficiunt, tamen crebro tentare membrum affectum movere proderit, quando minimum etiam motum in eo superare

* Rat. med. p. 141.

pereffe sentitur. Talia conamina ab egreg.
Gregory * maximis cum laudibus efferuntur;
utpote quibus muscoli aptissime et maxime secun-
dum naturam stimulantur; et idem certiores nos
fecit, aegros quosdam in membris quorum, sub
primum morbi incursum, motus erat admodum
obscurus, brevi tempore crebris talibus tentami-
nibus se affuescendo convaluiffe. Cum jam
movendi facultas aliquantulum recuperata est,
ponderosum aliquid brachio jactare, saepe cum
commodo in usum advocatum fuit. Gestatio
quoque, sicut in rheda, aut si, morbo jam abi-
uro, vires finunt, equitatio valde est utilis †.
Suadet Celsus ut membrum resolutum motu lec-
ti concutiatur. Partem affectam quoque manu
pfa panno laneo, aut strigili, fricari haud parvi
est momenti, semper parabile, et nunquam
non usurpandum. Hac enim ratione sanguis
copiosius in eam influit, augetur calor, rubor, et
magnitudo. A quibusdam pannum laneum va-
poribus mastiches, olibani, &c. imbuere profuif-
se existimatum. Animi pathemata violentiora
abito concitata multos ad sanitatem ilico re-
duxerunt;

* Gregory praelect. clinic.

† Celsus de resolut. nerv. lib. 3. p. 179.

duxerunt ; exempla cujus rei innumera apud auctores prostant. Talia nihilominus plerumque casu contigisse fatendum est ; et revera quicumque secum reputat, quantum periculum saepius inferre solent, facile agnoscet, vix ullum mente sanum ea accendere esse ausurum.

Alia sunt et varia stimulantia, quae ore assumpta multas adepta sunt laudes. Haec obiter percurramus. Sales alk. volatiles, in ventriculum recepti potenter et cito effectus suos per corpus diffundunt ; exhilarant enim, et animum excitant ; sanguinis circuitum accelerant ; at eorum actio cito definit ; et ideo non multum est iis confidendum.

Aromata adversus hunc morbum proposita sunt ; ista aut olei, tincturae, aut forma propria adhibeantur. Ventriculum calefaciunt et corroborant, atque leviter nervos stimulant ; verum sicut ea proxime recensita non multum ad curationem absolvendam conferunt.

Quaedam ex animalibus comparata, ut moschus, casto, zibethum, inter hujus morbi remedia quoque enumerantur : Haec omnia plus minusve stimulant ; ideoque fortassis non inuti-

lia

lia erunt *. Aetius ex veteribus castorem laudavit ; at si multum a quovis eorum est petendum, moschus certe praecipuus est habendus ; is enim, teste experientia, in quibusdam aliis nervorum affectionibus, multum pollet.

Nonnulli cantharides ore sumi suaferunt ; recte an secus ignoro ; at, quod multum periculum inferre possunt, minime est dubitandum.

Millipedes, et kermes quoque †, Van Swieten auctore, aliquando profuerunt.

Eodem consilio, camphora, asafoetida, medicamenta ex terebinthina composita, et balsama quaedam enumerata sunt ; sed eorum vires stimulantibus exiguae sunt, et a medicis non multum usurpantur ; idcirco de iis nihil certum, quod ad hunc morbum tollendum, proferre possumus.

Plantae acriores, et quae antiscorbuticae appellantur complures, ut sinapi, raphanus rusticanus, nasturtium, cochlearia, et similes, in hac affectione saepe utiles repertae sunt. Solae quidem, et per se usitatae vix sanitati restituendae pares existimari possunt ; sed, adjectis aliis medicamentis, proculdubio non leviter profunt.

* Lib. 6. cap. 27. p. 109.

† Comment. vol. 3. p. 369.

sunt. Verisimile videtur earum utilitatem partim deberi huic, quod, ut dictum est, quoddammodo alvum solvunt, et urinae secretionem promovent. Ex his † Gregory illustris sinapi, ut non modo praestantius, sed etiam alkali volatili anteponendum, commendat. Ventriculum id enim et intestina eximie ad actionem ciet; illorum quoque augens vigorem, digestionem favet. Cortex Peruvianus una cum amaris, et iis, quae a ferro parantur, multum proficere dictus fuit; haec magis autem vi tonica quam stimulante praedita esse videntur, non idcirco minus utilia evasura.

Praeter stimulantia, quorum supra mentio fuit facta, alia sunt, quae solummodo partibus quibusdam externis admoveri solent, quaeque laudes suas acceperunt; illa vero cuncta hic percurrere omnino supervacaneum videtur.

Variae plantae acriores contusae, et in pul-
pam redactae, (ut raphanus rusticus, scillae,
ceparum bulbae, allium, et sinapi semina), ad
partem paralyticam applicatae, donec cutis ru-
bescere et dolore affici incipit, cum fructu haud
parvo

† Gregory praelect. clinic.

parvo usurpatae sunt. Hic autem est notandum, quod, simul ac haec symptomata se ostendunt, usum eorum intermittere debemus.

Acida varia, sales acres, et olea empyreumatica, unguenta, et linimenta stimulantia, et denique unctiones ipsae, a variis auctoribus, similem ob causam, celebratae sunt.

Fustigationes sive percussiones leves, virgarum fasciis illatae, ruborem et tumorem aliquid inducunt; atque a nonnullis etiam laudatae sunt.

Emplastris piceis cutem vellicare, (sive id quod apud medicos picatio audit), ut et cucurbitulas sine ferro imponere Galenus, Celsus, ac alii hortati sunt. Urticis quoque cutem exasperare a quibusdam veteribus praecipitur; commouit Celsus morbum hoc modo aliquando subito fuisse sublevatum*. Omnia illa mox recensita simili fere modo effectus suos edere videntur, et non tam corpus omne, quam partes quibus admoventur, afficere. Non tanti igitur habenda sunt, quanti ea, quae latius effectus suos per corpus diffundunt.

Quod ad regimen in hoc morbo maxime idoneum, quando imminuta nervorum vis ei originem

* Celsus, Lib. 3. cap. 27. p. 179.

ginem prae-buit, aut ipse inveteravit, nec cur plethoram adesse suspicemur causa est, victus lautior esse debet. Inter cibos, qui ex carnibus parantur, venatio maximas accepit laudes. Praeterea aliquid vini meracioris permittendum est, istis praecipue, qui ei antea assueti fuerunt, et quorum aetas tale adminiculum postulare videtur. Eodem vero utentibus maxima cura caveatur oportet; quamvis enim modicum nulli remedio est secundum, nimio deterius non est venenum. Calor semper est petendus; nam frigore nihil est nocentius. Hanc ob rationem, in regiones calidiores migrare, et sub coelo sereno atque minus, quam nostrum, mutabile, degere profuturum videtur.

F I N I S,

TENTAMEN MEDICUM,
INAUGURALE,
DE
VARIOLA.

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit
JOSEPHUS LITTLE, A. M.
HIBERNUS,

societatis phys. Edinen. socius honorarius, et praefes annuus.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

THE
UNIVERSITY OF
CHICAGO
PRESS
CHICAGO
ILLINOIS

ANDREW STEPHENSON
In the
City of
Chicago
Illinois

WILLIAM HENRY, A.M.
D. C. W. R.
In the
City of
Chicago
Illinois

W. C. C.
AUGUST
1880

TENTAMEN MEDICUM,

INAUGURALE,

DE

VARIOLA.

DISSERTATIONEM de re medica more solito prolaturus, ut honores academicos rite consequeretur, ultro se mihi obtulit variola; saevissimus morbus, qui, partem generis humani haud exigentiam quotidie depascens, aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres.

Inter antiquiores, quorum scripta ad nostra pervenerint tempora, Rhazes primus variolam dissecit depinxit; ille autem quodcumque de ea scierit ex scriptis Arabum se hausisse fatetur. Nulum de variola auctorem legi merentem, praeter Sydenhamum, invenit Boerhaavius.

In Europam adveſta, et cum armis et commercio ejus pari paſſu progreſſa, pene per orbem terrarum cito vagata eſt.

Morbus hicce a celeberrimo Cullenſi, Praeceptor meo multum venerando, ſic definitur: ‘Synocha contagioſa cum vomitu, et ex epigaſtrio preſſo dolore. Tertio die incipit, et quinto finitur eruptio papularum phlegmonodearum, quae, ſpatio octo dierum, in ſuppurationem et in cruſtas demum abeunt, ſaepe cicatrices depreſſas five foveolas in cute relinquentes.’

HISTORIA MORBI.

In diſcretam et confluentem, eruptionis ratione, variola apte dividitur. In illa, nimirum, puſtulae ſingulatim erumpunt, in hac, quaſi in unam coaleſcunt. Per aliquod tempus ſanitas labaeſcit, et ſatis oſtenditur gravioſiorem aliquam morbum inſtare.

Ab horroſis et algoſis ſenſu variola plerumque adſoritur, quibus ſuperveniunt languor et ſopor. Hoſ excipiunt calor, ſitis, naufea, et vomitus. Capitis, doſſis, epigaſtrii, ſi premitur, et lumborum

lumborum dolores, intestinorum angores, colicam mentientes, et dubia sede vagantes, se comites ingratos praebent.

Nunc somno exterritus trepidat aeger, et multum jactatur. Delirium quoque saepe adest aliquando ferocissimum, et oculi truces apparent.

Infantes haud raro epilepsia afficiuntur. Nunc pulsus creberrimi micant, et dolores ingravescent. Tertio aut quarto die, a primo morbi insultu, papulae erumpunt cum omnium symptomatum levamine. Maculae, primo vix eminentes, faciem, collum, et pectus obsident, et brevi post tempore supra cutem late diffunduntur.

Ab initio symptomata ad quintum diem saepe remittunt, et vicissim exacerbantur. Quinto aut sexto fere die, finitur eruptio, quo tempore papularum interstitia rubent, et tota facies, praesertim palpebrae, tument; et paulo post partes extremae suo ordine tumescunt.

Quae primo maculae erant in pustulas elevantur, et circiter diem octavum in justam altitudinem eriguntur, coloremque rosae Damascenae aemulant. Nunc primum eruptio in suppurationem abit, quae a superioribus ad partes inferiores gradatim transit, febre comitante nunc majore nunc minore.

Die undecimo, inflammationis symptomata multum minuuntur, etiamfi in adultis ad sudorem propensio, et in infantibus diarrhoea, et plerumque copiosior urinae fluxus, observantur. Nunc crassum pus flavumque, et quod justum vocatur, in pustulis colligitur.

Quamprimum tumores ad manus et pedes pervenerint, saliva, prius acris et viscida, mitior et tenuior fit.

Crustrae papularum jam exsiccatae paulatim decedunt, cutemque levem sed maculatam (rubentibus adhuc propter cuticulae tenuitatem basibus papularum) relinquunt; brevi autem ad pristinam elegantiam et candorem redituram. Sic cursum leniter plerumque et tuto absolvunt distinctae variolae.

2. At longe aliter confluentes faeviant, non sine gravi vitae discrimine: Plerosque enim, quos genus summe malignum invadit, e medio tollit.

Symptomata supra relata, sed majori ferocia, et nova horrenda facie, ingruunt. Anxietas, jactatio, et vomitus, vel sub morbi insultum, magno pere urgent. Ægri, si erecte federe conantur, haud raro relinquuntur animo. Pulsus arteriarum citatiores fieri pergunt, et febrem malignam intentant.

Citius

Citius fere erumpit variola cohaerens, sed intervallis incertis, et cum nullo aut exiguo aegritudinis et febris levamine. Excipiuntur vero exempla a Mortono et Sydenhamo prolata, ubi tam tardis passibus pustulae in superficiem subrepere, ut non ante diem quintum se in conspectum dederint.

Symptomata, quae in distinctis leniter et cito cursum peragunt, in confluentibus perstant diutius, et saepe vespere ingravescent; habent convulsiones quoque, in hoc genere, plus periculi, et infantes, saepe morbo accedente, subito e vivis irapiunt.

Haud raro speciem erysipelatosam pre se fert variola confluens, et tota facies quasi in vesicam generalem exsurgit. Si quae pustulae ab aliis separantur, nec in conicam figuram exsurgunt, nec basi rubra circundantur, sed pallidae, exsanguae, et luridae apparent. Postquam erupere, modo evanescunt, modo iteratis vicibus emergunt.

In his, si quando, peracta eruptione, paululum remiserint symptomata, inter suppurandum recrudescunt.

Confluentes periculi et malignitatis variae observantur, et inde varia nomina adeptae sunt.

ChrySTALLINA,

Cryſtallina, ſanguinolenta, et verrucoſa audiunt; quibus Friendius ſiliquoſam addit, ſed forſan haec potius cryſtallini ſpecies.

In omnibus hiſce morbi ſpeciebus, praeter ſolita febris vehementis ſigna, plurima alia adſunt. Facies et collum magnopere tument, et, faucibus inflammatis, deglutitio difficilis fit. Diarrhoea quoque infantibus ſaepe ante eruptionem, et ſalivae effuſio, aetate proveſtoribus, immanius ſaeviunt. Jam ſputum viſcidum difficile excreatur, et non raro manus pedesque antea tumidi ex improviſo detument. Eſt quoque ubi facies non prorſus tumet, ſed pallet ab initio morbi; res peſſimi ominis.

Calore fere aucto, et dyſpnoea ſuffocationis periculum ſecum ferente, opprimitur aeger. In hac ſpecie liquor nigri aut nigreſcentis caloris, et varie malignus, e puſtulis effunditur, et ſanguis colliquatus ex puſtulis, aut vaſis cutaneis, deſluit, et ſaepe odorem foetidum ſubito ſpirat. Unde facile videre eſt, cur diarrhoea ſanguinolenta et miſtus cruentus ſeſe oſtendunt.

Delirium, tendinum ſubſultus, pulſus exiles, debiles, et abnormes, extremorum frigus fere ſub articulum mortis obſervantur. Stridor dentium, coma, et ſuppreſſa urina, plerumque praenunciant

ant mortem. Tunc, ex liquoribus effusis, nigrae aut fuscae formantur pustulae. Has crustulas decedentes, pulchritudinis omiffae indicia dira excipiunt aliae atque aliae, per multos dies, donec, erosa cute, foedisque cicatricibus corrupta decidit larva, et aeger pulchritudine plerumque mulctatus emergit.

Nunc nec color nec facies eadem. Jam reforpta, et de novo circuitui commiffa materies acris variolosa, variis corporis partibus, non solum foeda ulcera, sed et plures morbos chronicos, suo ex capite quosque sanandos, gignit.

Inde caecitatis, phthifae pulmonalis, dysenteriae, diuturnae desipientiae, fons. Ex alia parte autem, et feliciore eventu, tumores scrophulofi, ophthalmia, paralyfis, et alii morbi a variolis amoventur, et optima temperies solidis conciliatur.

Puellulam octo annos natam testis oculatus ipse novi, satis robustam, ut nobis visa est, paralyfi subito correptam, fequenti anno (ut memini) vim suam in eam exerens, a paralyfi sanam praestitit variola. Sunt alia symptomata minus solita, quorum historiae, brevitatis ergo, non inhaerebimus.

DIAGNOSIS.

D I A G N O S I S.

Primo insultu, eandem pene faciem praefere ferunt morbi fere omnes acuti. Est autem differentia quaedam inter variolam et omnes alios. Spurium genus est, quod incautis veris mentitur; sed quod vehementiam morbi illius nequaquam refert.

Hac specie laborantes, die tertio ruptis vesiculis, omnino solita munia obire valent. Variolam saepe praenunciant convulsiones, vespertinis horis magis feroces; convulsiones aliae post occasum Solis fere mitescunt et leniuntur.

Praeterea, accedente morbo, pulsus dicuntur esse aequabiliter constantes, et molles ab initio, nec haec mollitudo (ut aiunt) definit, vel in convulsionibus ipsis: Quod, si adhuc dubium fuerit variola instat, necne, aegrum symptomatis levare conandum est, donec eruptio scrupulum eximat.

Si jam variolae epidemice grassentur, et aeger doloribus vexetur, quales solent variolae eruptionem praecedere, et si inter variolis affectos versatus est, et morbum valde horrescat, tunc raro appropinquantis variolae iudicium fallit.

Erysipelas

Erysipelas et rubeola confluentes variolas prima facie multum referunt; qui vero eruptionis periodos et diversas historias accurate perpendit, nullo negotio hos morbos distinguet.

Rubeolas comitantur tussis et rauco, et oculi dolentes lachrymas effundunt. Erysipelas potius tumor et rubedo, quam eruptio, parvum spatium primo obducit; postea totam pene faciem occupat, partes, post paulo relinquens, quas primum obsiderat, in alias transit.

Morbillis laborantibus non multa febris est, et cito crustae decedunt. Ex toto patet, accedentis variolae, hoc est, primi stadii solius, diagnosin incertam et obscuram esse.

C A U S A M O R B I.

Seminii cujusdam corpore innati, et contagionis concursus ad morbum producendum necessarium esse, verisimile videtur.

Qui semel vere variola laboraverint, ut opinantur nonnulli in arte clarissimi, ad ultimum vi-

tae stadium a morbo immunes vivunt, nimirum, quia deest causa prima disponens. Et, e contrario, variola nulli afficiuntur, nisi contagione corporibus suis prius admota. Variolae contagio causa aestimanda est. Hic forte locus est observationum quarundam de natura contagii.

1. In corpus impetum, aestivo tempore maximum, vernali minorem, brumali minimum, facit venenum variolosum.

Haec vis contagionis periodica, quatenus a tempestate aut constitutione aëris pendet, nonnunquam videtur variari; sed hic aëris status est nobis ignotus.

Minime denegandum vero, variolam saepe unum ex familia obsidere, aliis praeteritis, et familiam unam alteramve invadere, viciniae parcentem; et inde sporadica et epidemica variola audit.

Sporadica, si aëris conditio minus faveat, languet et brevi evanescit.

2. Febri epidemicae populariter grassanti, seu haec nervosa, putrida, vel catarrhalis sit, contagio variolosa ut plurimum se sociare gaudet.

3. Haec contagio res subtilissima est; quamvis aëre circumvehitur, et in pulmones et stomachum recipitur,

recipitur, nullo tamen sensuum externorum detegitur.

4. Quod si contagioni causa morbi favet, tamen symptomata ejus multa a rebus aliis pendunt.

Concitatiores animi affectus, ebrietas, exercitationes immodicae, et forsan plurima alia nobis ignota, multo saeviores morbum reddunt. Hinc fit, ut in una familia, aut vico aut vicinia, variolas variae malignitatis, a pessimo ad benignissimum genus, saepe spectemus.

Contagio eadem per insitionem immissa, in diversis corporibus effectus longe diversos edit.

Ætate tenellis et junioribus amicus morbus, quoniam materiae variolosae facilior exitus datur.

Foeminis quam viris variolam magis peperisse, quippe quia laxiores sint, et earum pauciores e vivis rapuisse, firmiter Sydenhamo persuasum fuit. Ejus sententiae adversatur Percivallus, qui, subducto calculo, hunc morbum foeminis quam viris magis lethiferum invenit.

5. Calore augetur contagionis vis, cujus multa praebeuit exempla, in praelectionibus suis, clarus Cullenus.

Frigoris et caloris ope, suae mirandae facultatis plures aut pauciores pustulas dandi, laudem

et

et gloriam adepti sunt Infitores Suttonienses.

Pestis Smyrnam hieme navibus advecta, testante celeberrimo Mead, brevi cessavit.

Ex observatis Cleghornii clari senioris, clarissime liquet, variolas aestate multo magis Minorcae incolis lethiferas fuisse.

In quibusdam regionibus borealibus, non nisi post vicefimum annum redit variola.

Vel per variolas ipsas, vel per cutis exhalationem, vel per emunctoria naturalia, ut aliquibus placet, materies variolosa corpore ejicitur. Et, ex his cum antea dictis rite comparatis, videre est, cur mites, vel feroces, vel medio modo se habeant variolae.

Omnes hae variolae species, quae numerosissimae sunt, quae nec proprie malignae nec benignae sunt, nec omnino confluentes, nec distinctae, has omnes medias recte vocare videar. De fermento et assimulatione nihil dico.

PROGNOSIS.

P R O G N O S I S.

Ex jamjam in historia observatis, de morbi hujusce mutationibus inopinatis, nullam certam prognosin, cui fides omnino habenda sit, dari posse, satis patet.

In morbis, qui acuti audiunt, nil certe pronuntiavit ipse Hippocrates; sunt tamen symptomata quaedam, quibus innititur haud leve judicium.

Si calor, fitis, et dolores acuti multum intendantur, in vitae discrimen aegrum ducunt. Vomitus violentus, et convulsiones cito ab insultu morbi atroces, sunt mortis signa, quibus tuto plerumque fidendum est.

Si papulae citius solito erumpunt, praesertim si numerosae apparent, et multo magis si confluentes sint, anceps est morbi exitus.

Si, post eruptionem, nec evanescit nec mitigatur febris, in maximo periculo versatur aeger.

Si vesiculae, pro pure ichore, scatent; si facies pustularum onere obseffa sit, et eodem tempore respiratio difficilis, et interstitia pustularum
rum

rum pallida evadunt, tunc fere aeger in praecipiti est.

Maculae numerosae purpureae, et in nigrorem abeuntes, urina et dejectiones sanguinolentae, insignem humorum et universi corporis putredinem denotant, nullis fere remediis corrigendam.

Haemorrhagiam ex utero, ore, et naso, cum frigore et robore fracto, cum tremore artuum, et subsultu tendinum, brevi excipit inevitabilis mors.

Si haec symptomata, aut eorum bona pars, praesto sunt, aeger cito se omnibus terrenis abdicaverit curis. E contrario, quando symptomata febris satis modica sunt, quando calore et anxietate non multum opprimitur aeger, quando in infantibus antecedunt convulsiones, et ipsa eruptio distincta, et pustulae paucae, praesertim in facie, sese ostendunt, quando eruptio non apparet ante finem tertii aut initium quarti diei, aeger in bona spe est.

Symptomata febris eruptione decedente remissa, pustulae exsurgentes, et satis bono pure impletae, interstitiaque pustularum rubri coloris, omine fausto proficiscuntur.

Diarrhoea et salivae fluxus modici evadentes, manuum pedumque tumores ordine procedentes, sunt signa optata. Somnus levis et appetitus redux timores abigunt.

DE VARIOLARUM INSITIONE.

Hic mihi se offerunt,

I. Materia variolosa.

II. Selectio eorum qui operationem hanc subire debent.

III. Anni tempestas qua optime fit.

IV. Praeparatio.

V. Variolae propagandae modus varii.

I. De materia variolosa recte inquiritur, quanta et qualis sit nobis utenda.

1. Ab hodiernis pene omnibus conceditur, infirmas suum genus propagantis veneni indoli minime debere. Multi etenim, ex malignis inquinati, benignis sunt affecti; et, e contrario, quidam ex benignis infecti, malignis perierunt.

Prudentis erit, ne infectio incusetur, materiam sanguine minime captare, dum febris typus adhuc ignotus vetat aut naturam aut vehementiam ejus praevidere.

Lues venerea, et alii morbi, raro aut nunquam cum variolis instillantur.

At, ne vasis sanguineis vulneratis periculum augeatur, his intactis manentibus, pus e papulis abstrahendum est; et, si fieri potest, a homine quam

quam fanissimo. Quamobrem pus ab infantibus aut junioribus desumptum jure praeponitur.

Abunde pollet quamprimum concoquitur, et facultatem morbi diffeminandi diu fervabit. Nil referre videtur, qua corporis parte abstractum fit.

2. Inter morbi eventum, et materiae quantitatem intra corpus introductam, nulla prorsus subest connexio.

Quibusdam materiae venenatae larga quantitas introducta est; aliis tam exigua ut trutinæ examen respuerit; at utrisque idem morbus, eadem symptomata, idem eventus.

Quantitas modica praeponenda videtur, quae e vulnere haud facile elabatur, neque aegrum aut amicos variolae spe vana lactabit.

Infectio variolosa lapsu temporis languescit et extinguitur. An virus diu servatum symptomata saeviora reddit, necne, sub iudice lis est.

II. Infantibus variolas instillandas nonnulli suadent, utpote quibus debile seminium, obliti eadem ratione esse debile corpus.

Multa quidem peritos infitores vetant infantibus primis mensibus hunc morbum inducere. Ea enim aetate, os, variolis obseffum, (quod fieri potest), mammam matris qua sola nutritur non
bene

bene complectitur. Nares porro multum obstruuntur, interdum clauduntur penitus, ita ut neque fugere possit infans, nec nisi aperto ore spiritum trahere. Sunt quoque qui opinantur, motus vitales infantibus languidos esse, et vim cordis et arteriarum materiae venenatae expellendae imparem.

Praeterea, exercitationis beneficio magna ex parte innocui carent, neque sic, prout res postulaverint, perspiratio in iis promoveri potest. Irritata eorum viscera, acida acrimonia, haud parum molestiae generis corporibus fascessunt, et diarrhoeam faciunt, quae non raro in dysenteriam lethalem mutatur. Quin et ex dentitione magna periculi causa infantibus impendet.

Dentibus primo in lucem erumpentibus, saevissime convelluntur.

Inflammati, inquit, et dolores comitantur. Tunc, precibus furdi, respuunt infantes medicamentum quodcunque palatum offendit.

Primis mensibus, pauci inficiuntur, et vel ariolas iis tunc temporis inducere opus perdifficile est.

Duodecim infantibus, post partum quindecim diebus, instillatae sunt variolae, testante clarissimo Jonroio seniore, ne unus eorum inquinatus fuit.

Paucos ante tertium mensem variolis extinctos invenit clarus Percivallus, hoc consilio tabulas mortuorum sedulo perscrutatus.

A tertio mense vero, ad alterum aetatis annum, plurimos hoc mordo occubuisse detexit. Tunc nimirum corpus tenerum, et vis vitae parum firma. Partes externae magis cohaerent, cuticula a cute difficile separatur, et musculis subjacentibus arcte connectitur.

Non multo post, in sanis saltem, facilius supra musculos movetur cutis. Veneno varioloso facilius exitus, et ad id expellendum, vis cordis et arteriarum multo major.

A secundo ad undecimum annum, videtur intervallum infitioni maxime opportunum. Nunc corpus libere perspirat, nec adhuc riget; levi stimulo non facile irritantur viscera, nec obstructionibus obnoxia sunt. Consilio et blanditiis ducitur puer, ut faciat aut ferat quae ad sanitatem conferunt.

Puellae ea aetate qua primum menses erumpere solent, aut quae chlorosi laborant, pessimo consilio huic artificio subjiciuntur. Gravidae haudquaquam infitioni opportuna.

Variolae senes raro aggrediuntur. Eorum multos, vel in matris utero morbum passos, vel
cum

eum tam levem impetum in eos fuisse, ut sensibus se subtraheret, haud abssimile videtur. Nunc rigent fibrae, motusque vitales languent. Hodie vero aetatis multo minus quam olim habetur ratio.

In India Occidentali, omnibus vitae stadiis, a primis diebus ad annum septuagesimum, morbum instillant, et eventu optato.

Multas reddit rationes celeberrimus Dimsdale, quare ante annum secundum periculosa sit infusio; sed his addit, nullam sibi causam visam esse quare infantes sani cujuscunque aetatis ab infusione amoveantur, et multos homines annos septuaginta natos morbum impune sustinuisse, observat.

Quod ad salutem variolas subituri spectat, primi infitores multo magis anxie, quam recentiores, inspiciebant; morbis cutis, scrophula, visceribus obstructis, &c. laborantes ab infusione trecebant.

A talibus variolas infitivas impune ferri, dilu-
ide manifestat praxis hodierna. Et, quod mi-
um est, talem antipathiam sive dissenfum inter
tas et morbos nonnullos, praesertim intermittentes,
obtinere, ut, variolis accedentibus, vel omnino
vanescerent, vel filerent paroxysmi.

Epileptici

Epileptici salivatione et lue venerea exhausti, cachectici, strumis affecti, paralytici, &c. hunc morbum impune tulerunt. Minime dene-gandum vero, juniores et sanos magis insitioni opportunos videri.

III. Vere et autumnno, alias anni tempestates minus idoneas existimantes, opus perficiebant in-sitores primi. Tunc invaluit opinio, humores detentos constrictione cutis hieme exitum non habere, et eosdem in aestate in putredinem ru-ere.

Hinc diathesin phlogisticam unius tempestatis, et putredinem alterius, caute vitabant. Revera, omnibus anni tempestatibus sua sunt commoda et incommoda. Hiems perspirationem impedit; at infectioni et putredini fortiter obstat. Ver, etsi cutis eruptionibus obnoxium, tamen dat cutem mollem, et exhalationem per cutem copio-siorem; jam reviviscente natura novum adipiscun-tur vigorem homines. Æstas, si calorem auget, solida tamen laxiora praeber.

Dum centesimus quisque tantum Carolinae ex insitiis occubuit, quintus quisque ex naturalibus fatis concessit. Si autumnus bilis excessui oppor-tunus sit, fructus gratissimos acidos et accescen-tes suggerit; sic provida natura morbis autumnii
remedia

remedia parat. 'Nullis hominum cogentibus ipsae sponte sua veniunt.'

Morbo aliquo populariter grassante, variolae minime inferendae, ne eidem sese jungant, vel peioris forte morbi formam induant.

Ver et autumnus a claro Schultze praeponuntur, etsi fatetur, se Doctorem Archer observasse, omnibus anni tempestatibus, nullo eventus discrimine inoculantem.

Dimsdale quoque insitionem omni anni tempestate satis tutam opinatur, si modo aegri recte regantur.

IV. Regimen frigidum a Rhaze et Sydenhamo, et optimis qui de variolis scripserunt auctoribus, in morbo naturali laudatum, bonae praeparationis haud exigua pars est. Nunc, plethoricis praesertim, lautus vel multus cibus et potus valens caute vitandi. Nutrices, quae infantes arte inficiendos alunt, iisdem regulis morem gerere oportet.

Infantum alvi, morbosa colluvie si qua aderit, caute purgentur. Intestina eorum ut plurimum vermibus hospitium praebent, qui catharticis idoneis facile expelluntur. Aethiops mineralis, aut mercurius dulcis, si parvis dosibus propinentur, huic scopo optime inservient. Pulvis stanni, et pulvis rhei, multum laudantur.

Secretiones,

Secretiones, et prae omnibus perspiratio, emeticis optime promoventur. Hinc etiam bilis fluxus, quae maximi momenti est, copiosior fit.

Si plethora subfuerit, sanguis mittendus. A falsamentis quoque, condimentisque omnibus, et victu lautiore, et liquoribus generosis, abstineant. Frugibus, et lacte, et omni tenui materia, vescantur necesse est. Nec finit tempus, nec occasio postulat, ut ea omnia percurram quae ad varias dietae species pertinent.

Ab ea, quae aliis morbis acutis convenit, parum discrepat. Febrem auget exercitatio valida, et ideo ante insitionem, per aliquot dies, caute prohibenda.

Fibrarum compage vegetiore instructis, forsan iustis intervallis propinari debent mercuralia, quae diebus intercurrentibus sale Glauberi et cathartico amaro expurgari possunt. Etsi mercurius variolae antidotum haudquaquam esse videtur; tamen, in corporibus validis saltem, subsidium ad faciliorem morbi decursum a multis creditur.

Oculi cancrorum, tartarus emeticus, et sulphur antimonii auratum, a quibusdam eventu optato, jalappa et cremor tartari, mercurio mista, et exitu felice, ab aliis praescribuntur.

Horum

Horum medicamentorum incipiat usus paulo ante et statim post insitionem ; forsan sanis et robustis pauca medicamenta necessaria erunt.

Decedentibus mensibus (si ea aetate foemina est qua menses fluunt) statim inferi debet venenum, ut, ante mensium reditum, cursum perficiat morbus.

Solidis laxatis, et sanguini soluto, omnino incommodus mercurius videtur. Victus lautior, et potus valentior debilibus concedendi, quibus tonica forsan addi debent.

Regimen et medicamenta, cuique accommodata, iudicio medicorum caute trutinanda.

V. Variolas inferendi methodus variae excogitatae sunt.

Insitiones crucem imitantes insitoribus quibusdam factae sunt.

Emptio variolarum diu Germanis familiaris fuit. His successit modus efficacior et simplicior, nempe incisio alterutro brachio facta, ad deltoideis tendinis et brachiaei interni concursum, ubi fontanellae fieri solent. Incisiones binis cruribus itidem factae, ut miasmatis dosis satis magna instilletur ; sed has foeda ulcera saepe sequebantur, quae curationem difficillime admiserunt.

Praeterea, si veneni quantitas quam minima sufficiat, cui bono dolor excitatur ?

Apud

Apud Sinenſes mos erat, per nares inficere, quo modus periculofior extat nullus. Nonnulli, ut incifionis formidinem tollant, veſicantium ope morbum impertierunt.

Annis abhinc non multis, medentes noſtri filum contagione imbutum, per cuticulam acu apertam, pertrahebant, quam, ut methodum magis elegantem, et minorem dolorem facientem, tunc temporis aeſtimabant. Quandocunque vero filis utimur, bene ſiccentur caute proſpiciendum eſt; quoniam ex filis pure varioloſo imbutis, et madidis et putridis factis, multa mala oriuntur.

Scalpellum pure recente imbutum, et incifione leviffima ſub cuticulam inductum, et ibi deſuſum, tanquam methodum contagionem optime diſſeminandi, adhibent uſitatius infitores hodierni.

Vaſa minima ſub cuticulam jacentia ſola dividuntur. Ita initia hujus inventi praeclari illiteratis debentur; at operandi modus ab hodiernis multum provectus. Non eſt quod aliquod de infitionis commodis addam; curſus enim ejus eſt plerumque brevis et tutus, et vultus ſtat intemeratus honos. Scopo ſatiſfacturus, pro inſtituti ratione, reſtat ut ad medelam jam progrediar.

METHODUS

METHODUS MEDENDI.

Quoniam variolae naturales benignae communes insitivas referunt, et quoniam insitivae saeviores malignis haud abfimiles sunt, eadem erit utriusque methodus medendi.

In febre quae variolam comitatur, non secus ac in aliis, vel a nimia cordis arteriarumque actione, vel a debilitate, vel a putrida humorum corruptione, varium periculum metuendum est; his igitur remedia varia adhiberi oportet.

Est praeterea in hoc morbo opus non levis momenti dolores a veneno varioloso, cutem ulcemente, sopire.

I. In specie benignissima aeger (si cum aetate vocare fas sit) a liquoribus generosis, nisi multum dilutis, a cibo animali lautiore aut nimio, consuetudinis ratione prudenter habita, abstinere debet, et sic regimini antiphlogistico attentus, ope medica parum egebit, cum natura sibi sufficiat ipsa.

Attamen a medicis in consilium vocatis longe sit minima symptomata negligere, quoniam, in

D

ipso

ipso salutis portu, mortem inferre queant, et aliquando sua lenitate insidiosa fiunt.

II. Febris primariae symptomata levare quam primum conandum est, et ad eruptionem semper prospiciendum.

III. Calor auctus, pulsus pleni, validi, et frequentes, capitis dolor, secundum aegri aetatem et temperamentum, ipsorumque symptomatum vehementiam, sanguinis detractionem postulant. Et haec vel generalis vel topica fieri potest. Ad inflammationem amovendam, cutis tensionem et spasmum resolvendum, et eruptionem promovendam, nullo remedio laboranti naturae promptius succurritur.

IV. Emeticorum, et prae omnibus tartari emetici, magnae laudes.

His, praecordia, angustia et oppressione quae a congestionibus oriuntur, optime levantur. In partes corporis externas praesertim, aequabiliter propellunt emetica, partium internarum insigni levamine. Spasmum vasorum cutis in superficie resolvunt, ita ut, profluente sudore, materiae venenatae exitus praebeatur.

Eodem tempore praecordiorum dolores sopiuntur, et alvus ducitur, praesertim si tartarus emeticus parvis dosibus propinetur.

V. Propter alvi duritiam remediis laxantibus opus est, quibus alvus leniter ducatur, et quicquid morboſi in primis viis fuerit expurgetur.

Ex decocto tamarindorum cum ſenna, ſalibus catharticiſ et hiſ cognatiſ, parantur talia. Purgantia blanda ſola, et tempeſtively propinanda, ne ſuſteſtum alvi profluviuſ excitetur.

Salis Epſomendiſ uncia diverſiſ hauſtibuſ de die abſumpta, ad dejectioneſ expediendaſ et tormina ſedanda multuſ confert.

VI. Ex balneo calido pedibuſ applicato, multuſ boni reportat aeger. Nec ratio obſcura; quoniam humoruſ, ad haſ parteſ ducendoruſ magna vi pollet, parteſque ipſaſ ad materiã venenatã faciliuſ transfundendaſ aptioreſ reddit.

Morbo maligno, ubi facieſ varioliſ magiſ oneratur, pediliviuſ aegruſ cephalalgia levat; forſan balneuſ caliduſ, toti corpori applicatuſ, morbuſ mitioreſ reddet.

Ad ariditateſ cutiſ et tenſioneſ quibuſ ſtitatur inflammatio aut amovendaſ aut minuentiaſ, et ſanguineſ diluenduſ, forte aliquid profeſt balneuſ. Frequenti ſotuſ ventriculi dolor multuſ ſopitur, et quieſ et ſomnuſ multuſ deſiderati ex hoc remedio ut plurimuſ ſequuntur.

VII. Nunc hauſtuſ refrigeranteſ, potiſſimuſ acceſ-

cescentes, quorum ubique copia datur, ad sedandam ingentem sitim, aegri vehementer appetunt.

Ex acido vegetabili, five per fermentationem, five ex fructibus acidis et dulcibus comparato, ut et acido minerali, interdum satis commode confici possunt. Spiritus nitri, syrupo violarum nuptus et multum dilutus, anginam ex variolis ortam saepe superavit; et si quibusdam celeberrimis fides adhibenda sit, multos ex orci faucibus eripuit. Nec mirum; nam urinam et materiae perspirabilis exhalationem per cutem multum auget, caloremque temperat, et putredini obstat.

Acidum vitriolicum largius dilutum, succus limonum, &c. eidem scopo satis respondent. Lactebutyrum, serum lactis, hydrogala, et cerevisia tenuis, prout aeger appetiverit, tuto neque frustra hauriuntur. Aquam ipsam frigidam libere epotam multi laudant, scilicet, qua vix datur ad diluendum corporis calorem temperandumque efficacior haustus, aut aegrotanti ipsi gratior. Diluentia dicta aut ex aqua pura, aut ex rebus quorum pars maxima aqua est, clare constant. His corporum nostrorum calor, et inde vis morbi septica, multum minuitur. Inde pulsus minus frequens et plenus fit, et perspiratio augetur.

VIII. Frigus non modo potionis frigidae, sed et
aëris

aëris frigidi forma, corporibus nostris admoveri potest.

Variolosos foras evectos, et aëri puro et frigido expositos, insigniter resectos vidi, qui in cubiculum reduces gratos et salubres istos effectos, brevi deletos, non abs re dolebant.

An fermenti potestatem, humores in suam naturam convertendi minuendo, an inflammationem sedando, an vi morbi septicae, ut Alexipharmicon, obstando, an quocunque alio modo effectus suos frigus edat, parum constat, neque multum refert.

In cubiculo spatioso (et si possibile sit) altius sito, aegrum cubare, et aërem frigidum et suavem spirare oportet. Si ad corpus sustinendum membra sufficiant, aeger saepe foras ambulare debet, ut plurimum aëra purum et salubrem hauriat, qui non modo vitae pabulum maxime necessarium extat, sed in multis morbis optimum remedium.

An gelu et nivi tuta sit variolosorum libera expositio, adhuc dubito. Hoc saltem patet, frigus intensum multos sustinuisse magno comodo, quod sanos ad mortis januas perduxisset.

Effluvia putrida copiose diffluentia dissipat aër, et diathesi phlogisticae fortiter obstat.

Gradum

Gradum ultimum frigoris, cui variolas sustinens tute exponi potest, medicorum nemo, quoad scio, adhuc accurate definivit.

Regiminis antiphlogistici ad summum evecti tussim pedissequam experti sunt nonnulli, cujus aestas et dieta lactea fuere remedia.

IX. Omnia corpore excreta quamprimum amovenda sunt, nec cubiculo, quo paulo ante aliquis eodem laboraverit morbo, detinendus aeger.

Cubiculi fenestrae, et ostia saepe, praesertim mane et vespere, aperienda; quam paucissimis etiam ex familiaribus aditus in cubiculum aegri concedatur, et ipse a colloquio, quantum fieri potest, abstineat.

Infolita stragula nulla imponantur, lintea veste tegatur variolosus, quae quotidie, vel saepius, si facultas fuerit, mutari debet; morbo maligno pavimentum et stragula aceto conspergantur.

X. Alvi astrictae incommodum frequentibus lotionibus facile amovetur.

Regiminis antiphlogistici fautores primi, eruptioni optime consulentes, ut ipsis visum est, hoc remedium prohibebant. Alvi autem duritiae morbum ingravescere, et pustularum eruptionem, diarrhoea substante, minime impediri, suadent et ratio et experientia.

In convulsionibus quoque multum valent clysmata, praesertim si opium simul per os datum fuerit.

XI. Ex mercurio et antimonio, vel singulis, vel simul junctis, vel denique cum aliis medicamentis mixtis, multi, ut fertur, aegri haud parum fructus perceperunt. Sed vana prorsus spe quidam, neque sane parvi nominis, auctores, (inter quos Boerhaavius ipse primus recensendus est), semet lactabant, antidotum contra variolas, ex iis medicamentis quandoque comparatum iri, quo dispositio ad hunc morbum, qualiscunque demum fuerit, penitus corrigeretur.

Regimen antiphlogisticum, et mercurii usus, quicquid ex theoria vana nonnulli garriunt, recte conjunguntur; raro enim talis conjunctio nocet; et, si forte aliquid mali a mercurio oriatur, veluti tussicula, aut inflammatio levis faucium, istiusmodi incommoda brevi evanescent. De usu autem mercurii, aliorumque quae tantum jactantur medicamentorum, eorumque quantitatibus, et tempore, et intervallis adhibendi, medicum in singulis exemplis a temperamento et statu aegri judicare oportet: Fieri enim non potest, ut idem omnibus conveniat remedium. Talis est, febre durante, validos recte tractandi modus.

At

At debilibus non raro inferuntur variolae ; et naturales tales saepe adoriuntur. His mercurius potius esset noxae, et vel validissimis, quorum sub primum morbi impetum, vires fractae fuerint. Quae vim vitae sustentant in hoc stadio remedio sunt. Variolae vel initio, febre nervosa aliquando stipantur, quae paulo post formam putridam induit. Tunc mercurius aut aegrum omnino e vivis raperet, aut symptomatis diris eum subjiceret.

Phthisin pulmonalem ex catharticiis fortibus ortam, notavit clarus Baker. Se quoque certiorum de aliis exemplis factum fuisse memorat, ubi dirae ex tali methodo medendi (potius necandi) ortae sunt sequelae.

XII. Proximum medendi consilium est vim vitae, seu vires aegri, alere et sustinere.

Inter cardiaca eminet vinum. Magna urgente debilitate post aliquot dies, in auxilium vocanda sunt vesicatoria ; at minime primis diebus morbi, nisi symptomata saeviora ea requirunt.

Vesicatoria in omni specie, et variolarum stadio (prius sanguine misso) se adhibuisse testatur Clossius ; at ejus methodum pauci sunt secuti.

XIII. Eruptione finita, quae secundo morbi stadio fit, papulae rariores et symptomata febris primariae

primariae insigniter levata, vix ulla medicamenta postulant.

Regimen antiphlogisticum et aëris frigidi usus modicus, ne nunc negligenda. E contrario, symptomatis inflammatoriis adhuc vigentibus, pustulis numerosis et confluentibus, eodem modo quo primo stadio, secundo etiam tractandi sunt aegri.

XIV. Fotu et balneo tepido cruribus, vel univerto corpori applicato, praesertim in robustis, nil majus confert.

Alvi astrictioni clysteribus occurrendum. Pulsus validi, duri, et frequentes, cutis dura et arida, sanguinis detractionem postulant.

XV. Sanguis vero parca manu educendus, quoniam ubicunque febris primariae symptomata eruptione non aut evanescunt, aut multum mitescunt, pedissequam plerumque se praebet debilitas immedicabilis. Mercurius, nunc caute, si omnino propinandus.

Purgantia leniora, et emetica, ut in primo stadio, libere adhibenda; aër quoque frigidus in auxilium vocandus. Munditiae, quantum fieri potest, colantur; mutantur saepe corporis et lecti stragula et lintea. Aër purus in cubiculum admittatur, et aeger ipse, si vires finant, jovi pleno frigidoque exponatur.

E

Aër

Aër vapores venenatos dissipabit, aegrum anhelantem suaviter reficiet, cutem aridam refrigerabit, et viribus, nobis forsan nondum notis, veneni variolosi vires franget.

XVI. Si die quinto dolor, vigiliae, inquires mag-nopere urgent, opium, dulce lenimen doloris, aegro propinandum, et inde ad quietem componetur. Ubi vires reficiendae sunt, diarrhoea compescenda, pustulae collapsae erigendae iterum, ob omnibus concessum est, opium libere adhibendum.

Post plethoram et dispositionem ad inflammationem sublatas, et vasa laxata, non modo pulchros edit effectus opium, sed mira operatur.

Venenum variolosum intus oberrans, ad superficiem propellit, neque in convulsionibus celebrius extat remedium: Quoniam vero secretiones fere omnes, et excretiones praesertim alvi reprimat, tanta imprimis copia adhibitum, quanta hic opus est, suis incommodis in hoc morbo non carebit; et igitur clysteribus ex aqua tepida, ex aqua cum lacte et saccharo et sale Glauberi, opus erit ad ducendam alvum.

XVII. At alia longe morbi facies se non raro ostendit. Pustulae nec bono pure implentur, nec in justam molem gradatim exsurgunt.

Sed,

Sed, pro pustulis, vesiculae parvae, planae, et confluentes, liquore seroso et ichore impletæ, cutem occupant. Sanguis dissolutus non raro cum ipsa urina defluit, vel sub cute effunditur, vel in variolas ipsas transit.

Quando faciei, pedum, et manuum tumores non se mutuo excipiunt, et eruptio subito repellitur, tunc metastasis lethalis materiae venenatae, ad organa nobiliora, quam ad cutem natura propellere solet, magnopere metuenda.

Salivæ suppressus fluxus emeticis non raro restituitur.

Partibus extremis nonnulli suadent vesicatoria ab initio morbi imponi, quo humores naturales earum partium suo ordine certius promoveantur.

Emetica quoque, tum ventriculum evacuando, tum salivæ fluxum restituendo, tum sudorem promovendo, sæpe profunt.

Cathartica quoque, et diuretica, alvum et urinam movendo, multum proficiunt.

XVIII. Acidis in hoc morbo nullum præstantius invenitur remedium. In putredine coercenda, et inflammatione domanda, merito maximas sibi vindicavit laudes acidum vitriolicum.

XXI. In confluentibus et malignis, ad corticem Peruvianum, (hoc Dei mortalibus aegris insigne donum),

donum), veluti ad sacram anchoram confugiunt medici.

Quomodo cortex, an suppurationem expediendo, suos salutiferos edat effectus, non bene constat. Sunt qui opinantur, tonum vasorum restituendo, et inde gangraenae periculum summo-
vendo, corticem operari.

Hinc, tono vasorum nimio existente, ut in discreta variola saepe accidit, cortex nocere potest.

In sanguine soluto et putrescente, et ubi gangraenae periculum est, nil cortice praestantius extat.

A varioloso adulto integra uncia, viginti quatuor horarum spatio, devorata est, et cum successu optimo.

Continuari debet cortex, in talibus exemplis, donec putrida corruptio penitus sublata fuerit.

XX. Cum cortice, vinum libere sumi debet. Observatur enim, saepius vinum febricitanti, et multum debilitato concessum, non solum vires mirum in modum reficere, sed pulsuum frequentiam brevi temperare, nimirum, quae saepe debili cordis arteriarumque actione pendeat, sic contractionis debilitatem suae actionis frequentia compensare, conantium.

XXI.

XXI. Camphora acidis sociata a multis concelebratur. Vim nervosam excitare, putredinem coercere, et venenum variolosum ad cutem depellere, a multis creditur. Suppurantibus pustulis, cutis dolentissima et vigiliae continuae anodyna postulant. At cum cautelis (XVI.) memoratis oppiata adhibenda.

Alvi astrictio et emeticis et lotionibus amovenda est.

XXII. Vesicantia, principium vitale in debilibus stimulando, et per ulcerata loca pravae humores evacuando, mira praestare dicuntur.

Medicorum multi vesicantia brachiis et cruribus imponi jubent, etiam ab initio morbi, quo melius corpus, pravorum humorum onere liberatum, ad morbum debellandum valeat.

Humores qui vesicantibus variolosorum ejiciuntur pravae indolis ex eo videntur, quod coctius fluunt, et eorum ulcera multo difficiliusurationem admittunt, quam in aliis morbis.

Vesicantibus vel inter scapulas, si pulmones afficiuntur, vel parti cuicunque ubi necessaria videntur, rite admotis, Diarrhoea et humores glandularum, sub finem morbi, saepe agrum infestantes, et plurima alia dira symptomata,

tomata, aut multum mitigantur, aut, ut quibusdam placet, omnino praeveniuntur. Vescicatoria, ad externas partes humores alliciendo, auxilium valde necessarium nonnunquam tulisse, nullus dubito.

XXIII. Oxymel aqua tepida dilutum per os et nares injiciunt quidam medici, magno aegrorum levamine et solatio.

XXIV. Ad ultimum morbi stadium, quod est febris secundariae, nunc perventum est. An ex pure in sanguinem redeunte, an ex materiae venenatae separatione imperfecta, an ex viscerum abdominalium et tubi alimentarii putrida coluvie accenditur febris secundaria, emetica certe haud parum pollicentur auxilii. Prius autem quam haec adhibeantur, sanguinem mittere aliquando convenit, ne debilitas et putredo cito superveniant periculum est; et igitur sanguis caute mittendus, ne vires naturae nimis frangantur.

Regimen antiphlogisticum supra relatum continuandum est, vel, si neglectum aliquo tempore fuerit, integrandum.

In febre secundaria, putrida, et maligna, aër frigidus, acida, et cortex, et vinum, caeteris medicamentis palmam praeripiunt.

XXV. Ex balneo tepido foliorum et florum chamaemeli parato, butyri lactis quantitate debita permisto, effectus felicissimos observavit clarus Percivallus. Hinc fordibus purgatur cutis, pustulae emolliuntur, et foraminibus cutis laxatis reficitur aeger.

XXVI. Si quando actio devorandi, inflammatis faucibus, aut salivæ admodum viscidæ secretio quodammodo impeditur, oportet os sedulo obstergere liquoribus emollientibus; neque alienum est, vesicantia faucibus externis admovere.

A morbis malignis, pertinacibus, et longe perstantibus, ope variolarum liberati sunt multi.

At, e contrario, eventu infeliciore haud raro convalescentes a variolis, plurimi morbi invadunt. De his instituti ratio vetat tractare.

Fauces exulceratae aqua tepida cum lacte laudanda; et, ne pustularum pruritu provocatus cutem evellat aeger, omnino cavendum est.

Purgantia leniora bis terve post morbi decessum repeti, et convalescentes ad cibum lautiorem, et liquores generosos paulatim redire, omnino necesse est. Si post morbum valde debiles relinuntur, dieta primo lactea, deinde, ut vires fiant, et res postulant, nonnihil lautior; et aër purus

rus et ferenus, et occupationes jucundae, et cortex Peruvianus interdum, et coelum mitius, et itinera, et navigationes, optima videntur remedia.

F I N I S.



